Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/sacerdos0001padu

BÉZIERS
6, Rue du Bon Pasteur
C 3 6

SACERDOS

RITE INSTITUTUS

PIIS EXERCITATIONIBUS

MENSTRUÆ RECOLLECTIONIS.

SACERDOS

RITE INSTITUTUS

PIIS EXERCITATIONIBUS

MENSTRUÆ RECOLLECTIONIS

AUCTORE

P. ADULPHO PETIT, S. J.

TOTIUS OPERIS
EDITIO QUINTA ELIMATA.

ALMA COLLEGE
LIBRARY
P445
ALMA, CALIFORNIA

SERIES ALTERA.

Typis Societatis Sancti Augustini,
DESCLÉE, DE BROUWER ET SOCII.
Brugis et Insulis. — 1907.

Ego Josephus DE VOS, Præpositus Provincialis Societatis JESU in Belgio, potestate ad hoc mihi facta ab Admodum Reverendo Patre Francisco Xaverio WERNZ, ejusdem Societatis Præposito Generali, facultatem concedo, ut opus cui titulus : *Sacerdos rite institutus piis exercitationibus menstruæ recollectionis*, constans quinque voluminibus, a Patre Adulpho PETIT, S. J. conscriptum, et a deputatis censoribus rite recognitum atque approbatum, post plures jam factas editiones iterum ex integro typis mandetur.

In quorum fidem has litteras manu mea subscriptas et sigillo meo munitas dedi.

Bruxellis, die 16 Novembris 1906.

Locus sigilli. Josephus DE VOS, S. J.

IMPRIMATUR.

Brugis, 10 Januarii 1907.

H. LAHOUSSE, *can. lib. cens.*

PRÆFATIO.

LIBELLUS cui titulus : Sacerdos rite institutus piis exercitationibus menstruæ recollectionis, *abhinc fere duobus annis dilecto Clero a me oblatus, ita plurimorum faventes oculos animosque habuit, ut alteram Exercitationum seriem concinnare et in lucem edere, opusque adeo feliciter inchoatum absolvere voluerim atque perficere.*

Cum autem compertum sit, plures Sacerdotes hoc meo libello, quantuluscumque sit adeo fuisse adjutos, ut eo jam uti velint ad instituendam non solum recollectionem menstruam, sed etiam quotidianam meditationem, existimavi utile fore, si pro singulis exercitiis proponam materiam ampliorem atque abundantiorem, ut ille, qui meditatur, pro libitu per plures continuos dies in iisdem punctis possit hærere.

Præterea intellexi apud multos in votis esse, ut in eodem volumine sufficiens inveniretur materia pie lectionis ; quapropter, ut tam justo desiderio pro modulo satisfaciam, loco alterius *medita-*

tionis, quæ in prima serie *Exercitationum apponebatur ut* præparatio ad mortem, *propono in hac* altera serie *aliquam* considerationem *circa varias partes vitæ sacerdotalis, ut singulis mensibus pius sacerdos videat quid* emendare *debeat, quid* perficere, *et sic paulatim quasi per gradus suaviter ad sanctitatem perveniat.*

« *Accipite igitur, ut loquar cum illustrissimo Cardinali Bellarmino* (De gem. col. Prol.), *accipite, Fratres mei carissimi et desideratissimi, munusculum a me leve et exiguum, sed non parvo affectu donatum.* »

RECOLLECTIO I.

MEDITATIO.

De vocatione Apostolorum.

1. Præl. Nobis repræsentemus JESUM convocantem discipulos, et ex illis duodecim Apostolos eligentem.

2. Præl. Petamus gratiam agnoscendi et adimplendi nostram vocationem.

Recordatio seria vocationis Apostolorum bono sacerdoti est :

1° Ingens consolatio ;

2° Valida exhortatio.

Iᵘᵐ PUNCTUM. — Ingens consolatio.

Recordatio vocationis Apostolorum sacerdoti est ingens consolatio, si attente consideraverit :

1° Ad quid vocati fuerint Apostoli ;

2° Qui et quales vocati ;

3° Quomodo vocati fuerint ;

4° Quales per suam vocationem evaserint.

1° *Ad quid* Christus Apostolos suos vocavit ?

a) Ad hoc eos vocavit ut essent *electi discipuli*, quos præ cæteris per seipsum verbo et exemplo erudiret.

b) Ad hoc eos vocavit ut essent *intimi sui... familiares assidui... continui commensales...* quos nihil celaret.

c) Ad hoc eos vocavit ut essent *socii* et *participes* magni illius negotii quod ipsi a Patre suo commissum fuerat.

d) Ad hoc eos vocavit ut essent *apostoli* sui, sui *legati*, sui *vicarii*.

e) Ad hoc eos vocavit ut essent *fundatores* et *principes* Ecclesiæ Dei.

Qualis quantaque hæc vocatio! Tanta enim est ut Apostoli dignitate superaverint patres et sanctos veteris et novi Testamenti. Quam jucundum est mihi sacerdoti cogitare cum veritate hanc esse meam vocationem! Idem Jesus qui vocavit Apostolos et me vocavit, et ad quam eos vocavit dignitatem, ad eam me quoque vocavit. Etenim me vocando ad sacerdotium, vocavit ut essem electus discipulus, intimus, familiaris, immo et commensalis quotidianus, socius et particeps operis sublimissimi, quod est gloria Dei et salus animarum. De tanta vocatione gaudebo in æternum.

2° Sed *qui* et *quales* erant Apostoli antequam ad apostolatum electi sunt ?

Abjectæ erant *conditionis*, defectibus pleni et multis obnoxii miseriis... *Natione* Galilæi, plerique a reliquis Judæis contemnebantur... *Conditione* pauperes erant,... rudes,... rusticani ;... vili opificio vitam tolerabant, non litteris exculti, nec ulla pollebant auctoritate.

Nos tantillos ad apostolatum vocavit Dominus. Abjectio vocatorum est gloria vocantis. Non jam miror quod et me vocare dignatus est miserum et contemptibilem. Forsan de me prophetavit Psalmista in Ps. 112, dum dixit : « Suscitans a terra inopem et de stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui. » Gratias tibi ago, o mi Deus, quod me indignum, me peccatorem ad sacerdotalem dignitatem evehere non dubitasti. Obstabant innumera peccata ; obstabat vitiosa indoles ; obstabat ignavia ; obstabat tepiditas mea ; et tamen fecisti me tuum sacerdotem, sacerdotem in æternum. Tibi soli honor et gloria in sæcula sæculorum !

3° Et *quomodo* vocavit Jesus Apostolos suos?

Vocavit diversimode, prout noverat unicuique magis expedire. Alios vocavit simpliciter; alios proposita mercede congrua: «Faciam vos fieri piscatores hominum;» alios sola invitatione; alios jussu et auctoritate, ut Matthæum: «Sequere me;» omnes vocavit admirabili suavitate et prudentia.

Et quomodo nos vocavit Dominus ad sacerdotium? Per totam æternitatem exsultabimus, videntes quam admirabiliter ipse nos Dominus duxerit manu suavissima simul et forti ad statum ad quem a tota æternitate nos vocaverat. Omnes unanimi voce clamabimus: «Vere, o Deus, tu mirabilis in sanctis tuis!»

4° *Quales facti sunt* Apostoli per suam vocationem?

Prorsus *mutati* fuerunt in viros novos, non sane statim, sed paulatim. Post enim acceptum S. Spiritum apparuerunt in mundo tamquam *angeli*, splendentes sua castitate,... sua mansuetudine,... sua prudentia,... sua patientia,... sua

pietate,... sua caritate. Apparuerunt ut *bellatores*, tantaque fortitudine et virtute oppugnaverunt potestates infernales ut eis eripuerint mundum cui dominabantur a multis sæculis. Merito vocati fuerunt *mundi triumphatores gloriosissimi.*

Utinam meum sacerdotium me etiam plane commutasset ! Utinam et ego apparerem in mundo ut *angelus*, ut infernalium potestatum *fortis bellator* et *triumphator mundi gloriosus !* Sed eheu ! o Domine, forsan a sacerdotio suscepto paulatim commutatus sum in virum pejorem. Forsan ex quo sacerdos sum, minus invenior fervens, minus humilis, minus generosus quam eram in seminario. Obtineant nobis S. Petrus et S. Paulus gratiam sectandi deinceps vestigia Apostolorum, et semper progrediendi usque in diem perfectum. Tunc erit, sicut Apostolorum, gaudium nostrum plenum. Gaudebimus quod vocavit nos tantillos ad tantam dignitatem. Gaudebimus quod tam suaviter et tam fortiter nos ad vocationem evexit attingendam. Gaudebimus quod in

vocatione nostra nos invenire fecit fontem salutis et sanctitatis.

IIum Punctum. — **Valida exhortatio.**

Recordatio vocationis Apostolorum valida exhortatio est ad respondendum vocationi nostræ, sicut Apostoli vocationi suæ responderunt.

1° Responderunt Apostoli suæ vocationi, credendo firmiter Jesu eos vocanti et dicenti : « Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum... Qui reliquerit patrem et matrem... vitam æternam possidebit... Tollite jugum meum super vos, et invenietis requiem animabus vestris... Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor eum coram Patre meo... Quærite primum regnum Dei... et hæc omnia adjicientur vobis. »

2° Responderunt vocationi suæ, sæcularibus desideriis valedicendo in æternum.

a) Accepto Spiritu sancto, non jam visi sunt inhiare divitiis, nec se sollicitos ostendunt de potu, de cibo, de vestitu.

b) Non jam visi sunt quærere gloriam humanam, neque conturbantur judiciis hominum.

c) Minime jam visi sunt inhærere desideriis carnis. Pro deliciis voluptatis selegerunt delicias mortificationis.

Quis Apostolus visus est familiarius agere cum sexu femineo? Nonne omnes casti, omnes modesti, omnes prudentes sicut serpentes in omni suo ministerio erga mulieres, ut videre est in pulcherrima epistola quæ fertur sancti Clementis ad Virgines?

3° Responderunt vocationi suæ, utendo, præsertim post adventum Spiritus sancti, ad debellandos adversarios suos, armis quæ a Christo Domino acceperant. His uti armis docuerat Jesus, dum post baptismum suum secessit in desertum. Sunt autem :

a) Amor solitudinis;

b) Oratio intima et familiaris ad Deum;

c) Corporis castigatio per jejunium;

d) Virilis voluntas aggressionibus dæmonum opposita.

4° Responderunt vocationi suæ,

Jesum prædicando ubique cum magno affectu, et pro nomine Jesu libentissime sustinendo giganteos labores, innumeras ærumnas, vincula et carceres, et tandem generosissime profundendo sanguinem suum, coronantes martyrio apostolatum suum.

Sic, o sacerdos, tibi respondendum est sanctæ vocationi tuæ.

1° Credere debes Jesu dicenti tibi : « Quære primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur tibi.» An credidisti ? Si credidisti, quare igitur te tradis inani timori ne mala te obruant aliquando nimis? ne forsan defutura sint tibi quæ necessaria sunt ad victum ; ne persecutio redditura sit vitam tuam intolerabilem ? Crede firmiter illi qui te vocavit et qui tibi promisit auxilium et solamen in omni tribulatione tua. Dic igitur : « Credo in te, Domine, spero in te. Et si exsurgat circa me murus difficultatum et ærumnarum, audacter dicam cum Propheta : In Deo meo transgrediar murum... Si exsurgat adversus me prælium, in hoc ergo sperabo, quia tu mecum es...

Omnia possum in eo qui me confortat. »

2° Ut Apostoli, debes valedicere desideriis sæcularibus. An his valedixisti ? Si eis valedixisti, quare igitur tam sollicitus es de conservando,de augendo peculio tuo ? Quare opinio hominum te anxium tenet, et quare tam facile vel ad minimam humiliationem cadis animo ? Si desideriis sæcularibus valedixisti, quare tanta cum imprudentia foves quæ castitati tuæ insidiantur, quæque te exponunt naufragio famæ atque salutis ?

O Domine, respondebo sanctissimæ meæ vocationi, ostendendo me superiorem desiderio divitiarum, contemnentem honores humanos, vere humilem et castum.

3° Ut Apostoli, debes et tu uti his armis quæ a duce tuo accepisti. An eis usus es ? An amas solitudinem et animi recollectionem ? An frequenter conversaris cum Deo tuo? An uteris corporali castigatione ? An tentatori assuevisti resistere prompte, fortiter, usque ad plenam victoriam ?

4° Ut Apostoli, JESUM prædicare teneris. An hoc nomen divinum sæpe est in labiis tuis? v. g. quando excipis confessiones... quando explicas doctrinam christianam... quando concionem habes ad populum... quando conversaris cum proximo? O si cor tuum plenum esset JESU, ex abundantia cordis os tuum de JESU loqueretur.

Ut Apostoli, o sacerdos, pro JESU, qui te vocavit, exantlare debes labores, subire ærumnas, accipere opprobria, forsan pati vincula et carceres, immo et sanguinem tuum profundere. An hæc est animi tui dispositio? Vide quomodo feras minima illa mala quæ occurrunt quotidie. An ea ferre soles non tantum *patienti* animo aut *libenti*, sed etiam *jucundissime?*

O quam beati, quam potentes essemus, si more Apostolorum sciremus respondere sanctissimæ nostræ vocationi!

CONSIDERATIO.

De morte SS. Apostolorum.

Nullus est nostrum qui non ex intimo corde desideret habere mortem morti Apostolorum simillimam. Si enim mors justorum pretiosa est in conspectu Domini, quid dicendum de morte Apostolorum? Nulla sane jucundior, nulla gloriosior. Sed unde hæc jucunditas? unde hæc gloria? Respondet Spiritus sanctus : « Beati mortui qui in Domino moriuntur. » (Apoc., XIV. 13.)

S. Ambrosius commentando hunc textum, existimat per *mortuos* intelligi posse qui mortui sunt, non *corpori*, sed *mundo* ; sive qui mortui sunt, non *physice*, sed *mystice* et *spiritualiter*.

Igitur, juxta S. Doctorem, beati sunt illi quorum mortem corporalem præcessit mors mystica seu moralis ; qui, antequam morerentur *corpori*, jam mortui erant *mundo*, *carni* et *sibi*. Talem mortem mysticam enuntiavit Paulus scribendo : « Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus. » Mortuus erat S. Apostolus mundo, carni et sibi. Idem dicendum est de S. Petro ; idem de omnibus aliis Apostolis,immo de omnibus sanctis. Quia ergo mortui erant *spiritualiter*, mortui sunt in Domino, et hinc eorum beatitudo : « Beati mortui qui in Domino moriuntur. »

Ex hac consideratione merito deducet sacerdos sequentem conclusionem: Si ego, sicut Apostoli, volo mori in Domino, mihi in Domino vivendum est. Fere semper enim bonam vitam bona mors, et malam vitam mala mors sequitur. Sicut Romæ mori non potest, qui Romæ non vixit, sic qui in Domino non vixit, in Domino mori non potest. Vivere autem in Domino est vivere in *gratia Dei*, est vivere in *lege Dei*, est vivere in *Dei voluntate*. Ergo si volo mori in Domino et sic consequi beatitudinem, necesse est ut vivam in statu gratiæ, ut Dei legem impleam, ut Dei beneplacito per omnia me subjiciam. Sed ut *me contineam in statu gratiæ*, obluctandum mihi erit perpetuo adversus tentationes, adversus passiones, adversus sensuum expostulationes, adversus carnis petulantiam, adversus dæmonis et mundi seductiones et illecebras.

Ut *legem Dei implere valeam*, a multis mihi abstinendum erit quæ hac lege vetantur, licet jucunda sint atque grata naturæ; et multa mihi facienda erunt quæ hac lege jubentur, licet ab eis anima humana soleat abhorrere.

Ut autem *me subjiciam semper Dei beneplacito*, non raro mihi vim inferre debebo, ne *rebus adversis* sive privatis, sive publicis, sive propriis, sive alienis, conturber, dejiciar

et tandem deveniam ad quamdam animi desperationem.

Quis non videt taliter vivere nihil aliud esse quam quotidie mori, mori mundo, mori carni, mori sibimetipsi? Sed si sic mortuus fuero, beatus nimis! moriar enim in Domino, moriar in consolatione, moriar in sancta exsultatione. Hinc sublimis exclamatio S. Augustini: « O perire sibi!..... O amare!..... O ire ad Deum! »

EXAMEN.

Circa præparationem ad mortem.

An ego numerandus sum inter illos de quibus dixit Sp. S.: « Beati mortui qui in Domino moriuntur? » Inter illos numerandus sum, si mortuus sum *mundo, carni, mihi.*

1° An mortuus sum *mundo?* Mundus *divitiæ* sunt. An mortuus sum divitiis?

a) An non nimia parcitas in eleemosynis?

b) An non nimia sollicitudo et inquietudo circa bona temporalia?

c) An non nimia exquisitio commodorum?

d) An non sum nimius in supellectili mihi comparanda?

Mundus *honores* sunt. An mortuus sum honoribus?

a) An nulla invidia?

b) An non obmurmuratio propter evectionem aliorum ad dignitates?

c) An non nimia sollicitudo de opinione hominum ?

d) An non nimia tristitia propter humiliationem acceptam ?

Mundus *oblectamenta* sunt. An his mortuus sum ?

a) An non avidius quæro recreationes ?

b) An non nimiæ sunt visitationes, excursiones, confabulationes ?

c) An non lego jucunda potius quam utilia ? An non tero tempus legendo futilia et levia ?

2° An mortuus sum *carni ?* Caro sunt *sensus* nostri. An non eis plus æquo indulgeo ? Caro est *luxuries*, est *familiaritas* cum sexu femineo, est *affectus tenerior.* An ab his immunis sum ? An sat viriliter resisto tentationibus castitati contrariis ?

3° An mortuus sum *mihi ?* Mihi, i. e. voluntati propriæ, proprio judicio. An non nimis his adhæreo ? An non superbus sum in cogitationibus, in desideriis, in verbis ?

Domine, per merita B. M. V., rogo te ut mihi des gratiam ita nunc moriendi mundo, carni et mihi, ut me spiritualiter mortuum inveniat mors physica, quæ jam forsan prope est.

RECOLLECTIO II.

MEDITATIO.

De spiritu fervoris.

1. Præl. Audiamus Christum nobis dicentem : « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur ? »

2. Præl. Petamus a Domino ut in corde nostro ille ignis accendatur, adeo ut semper simus, juxta consilium Apostoli, *spiritu ferventes.*

Consideremus :

1° Quis sacerdos dicendus sit spiritu fervens ;

2° Qui sint fervoris effectus.

Iᵘᵐ Punctum — Quis sacerdos dicendus est spiritu fervens ?

1° Spiritu fervens est ille sacerdos qui, quæcumque agit, agit cum pura intentione. Si loquitur, loquitur ut Deus accipiat laudem, proximus ædificationem. Si aliquid facit, id facit « ut homines videant opus bonum et glorificent Patrem qui in cœlis est. » Ipsi familiaris est tessera S. Ignatii « Ad majorem Dei gloriam. »

2° Spiritu fervens dicendus est ille sacerdos qui se totum applicat rei peragendæ ; non perfunctorie, non molliter, non segniter, non ex parte rem aggreditur ; sed plene, omnino et seria mente.

3° Spiritu fervens est ille sacerdos qui ita agit ac si Deum haberet testem suæ operationis. Vitat proinde quidquid oculos Dei offendere posset. Cavet a minimo peccato.

4° Spiritus fervens est ille sacerdos qui a bono opere quod incepit non desistit propter insurgentes difficultates. Difficultates quantumvis magnas superat animo intrepido et generoso. « Quis nos separabit a caritate Christi ? » (Rom., VIII, 35.)

5° Spiritu fervens est ille sacerdos qui non deserit rem susceptam quin eam perfecerit, claudens aures fatigationi, tædio aut alii cuivis occurrenti molestiæ. Novit sequiturque principium S. Francisci Salesii : « Usque ad finem ! »

6° Spiritu fervens est ille sacerdos qui avido animo arripit omnem occasionem se sanctificandi. Cum simplici-

tate adjuvat se iis mediis quæ scit a magistris vitæ spiritualis proposita tamquam maxime efficacia ad sanctificationem sacerdotum: ut sunt exercitium recollectionis annuæ, exercitium recollectionis menstruæ, exercitium frequens Viæ crucis, frequens visitatio Sanctissimi et lectio vitæ Sanctorum.

7° Spiritu fervens est qui ex amore Dei minima curat. Nam ad facienda hæc minima, multi respectus humani sunt conculcandi, multa difficilia superanda.

8° Spiritu fervens est ille, qui ardenti studio et inexplebili cupiditate et assidua diligentia voluntatem Dei facit, in caritate Domini nostri Jesu Christi; juxta quod dicit Psalmista : « In mandatis ejus volet nimis. » (Ps. CXI, 1.)

9° Tandem sacerdos spiritu fervens dicendus est ille, qui non fatigatur operando, sed quo plura agit et patitur, eo majora agere et pati desiderat. « Ignis nunquam dicit : Sufficit. » (Prov., XXX, 16.) Cum S. Francisco Xaverio exclamat : « Amplius, Domine, amplius ! »

II^um^ PUNCTUM. — **Quinam sunt fervoris effectus?**

Ad explicandos hos effectus fervoris liceat nobis uti sequenti comparatione. Supponamus aliquod vasculum plenum *aqua frigida*. Hæc aqua immobilis est, nullum emittens vaporem; circum se spargit frigus et cibos immersos non immutat. Subjiciatur vasculo *ignis* usquedum aqua incipiat ebullire: quod operatur ignis in aqua, id operatur fervor in anima sacerdotali.

1° Statim ac sentit aqua actionem ignis, cessat esse immobilis, sed incipit agitari eoque vehementior est aquæ agitatio, quo vehementior est actio ignis.

2° Post intervallum temporis aqua sic agitata expellit ad superficiem res sordidas et alienas quæ in ea continebantur.

3° Simul vaporem emittit abundantem quo videtur velle se sursum efferre, cœlum versus.

4° Præterea calorem ita circa se diffundit ut circumstantes caloris sui participes faciat.

5° Dum aqua sic subit actionem ignis,

apta redditur ad præparandos cibos, eos convenienter immutando.

6° Tandem, nostris temporibus, ars et scientia docuerunt aquæ ebullientis vapores ita coarctare et dirigere ut evadant in vim motricem qua propellantur currus multi simul conjuncti, et naves giganteæ per fluctus oceani vel agitatissimos ab uno portu ad alium transmittantur cum stupenda celeritate.

Quis non videt admirabilem esse analogiam hos inter effectus ignis in aqua et effectus fervoris in anima sacerdotali ? Etenim

1° Fervor avocat animam a nimia quadam immobilitate in qua tabescit ille qui fervens non est. Ecce sacerdos optimis talentis prædítus, ornatus non vulgari doctrina, pollens auctoritate, neque tamen ullum fere fructum fert in suo ministerio ; quare ? Quia frigidus est aut tepidus. Adde ignem, excita in hoc sacerdote fervorem, et statim incipiet se movere ; laborare incipiet, laborabit multum, laborabit fructuose. En primus effectus fervoris, *fructuosus labor.*

2° Fervor expellit ex anima *sordes* quæ in ea propter tepiditatem coaluerunt. Nempe statim ac incipit fervescere anima sacerdotalis, majorem sentit in se horrorem peccati et eorum quæ cum peccato connexionem habent. Quo major fervor, eo generosior horror peccati, eo delicatior conscientia. Est secundus effectus fervoris, *detestatio peccati.*

3° Fervor excitat in anima sanctas aspirationes quibus cœlum versus impellitur sacerdos. Nascuntur in eo sancta desideria quæ suspiriis et obsecrationibus ignitis, veluti totidem vaporibus, ascendunt usque ad thronum Dei. Hæc *desideria sancta* ut tertius effectus fervoris haberi possunt.

4° Fervor efficit etiam ut flamma interius concepta, ulterius se diffundat aliosque calore suo accendat. Hæc *practica ædificatio* quartus est effectus fervoris.

5° Fervor animam aptam reddit ad coquendos salutari modo cibos spirituales, ita ut cibi isti quasi in nostram substantiam transire valeant. Cibus

autem spiritualis est omnis exercitatio pia, meditatio, communio, exhortatio. Solet anima fervens ex his omnibus colligere vires, robur et jucunditatem. Hæc *efficacia rerum spiritualium* est quintus effectus fervoris.

6° Sed præcipuus effectus fervoris est *potentia* singularis qua pollet sacerdos ad promovenda opera bona, et ad fortiter impellendum currum gloriæ Dei per sanctificationem animarum.

Magna opera catholica, si propius inspiciantur, cognoscuntur originem sumpsisse in anima in qua fervor habitabat. Suo fervori debet S. Vincentius a Paulo gigantea sua opera *caritatis*, S. Ignatius Loyola gigantea sua opera *zeli*, S. Alphonsus gigantea sua opera *pietatis*, beatus Vianney prodigiosas *conversiones* quas operatus est.

Utinam, o mi Jesu, essem ego sacerdos vere *fervens!* Plura facerem, meliora facerem, majora facerem, et simul vitam ducerem jucundiorem ac feliciorem.

CONSIDERATIO.

De subsidiis et de motivis fervoris.

I. — *De subsidiis fervoris.*

Primum subsidium est sibi proponere vel *unum* exercitium quod velimus voluntate firma et constanti quotidie *rite* et *ferventer* peragere. P. Franciscus Suarez, ut in ejus vita legitur, non raro visus fuit raptus in extasim et elevatus multis cubitis in aere dum vacabat orationi. Atqui ad hunc fervorem pervenit applicando se *constanter* meditationi matutinæ. Aliquando auditus est dicere, si e duabus altera necessitas sibi imponeretur vel solitam ritu Societatis horam orationis, vel quæsitam tot annorum labore scientiam amittendi, æquiore se laturum animo hujus quam illius jacturam.

Secundum subsidium est constantia in ordine diurno fideliter sequendo. Summi præsertim momenti est *surgere hora statuta*. Sed multa sunt impedimenta, prætextus multi; modo corporis fatigatio, modo vigiliæ longiores, modo tempestas frigidior, modo pigritia, modo sensualitas, modo suggestio diabolica. Ferventis sacerdotis est *semetipsum vincere*, hæc omnia generose contemnendo. Ut autem possis statuta hora surgere, necesse est ut *hora statuta decumbas*. Docent medici ad tuendam valetudinem potius esse tempestive decumbere et valde

mane surgere, quam tarde decumbere et protrahere somnum.

Tertium subsidium est frequens *recollectio*. Felices nimium sacerdotes qui assueverunt se adjuvare 1° recollectione *diurna*, vespere examinandō conscientiam *serio* et cum *sincero* proposito se emendandi; 2° recollectione *hebdomadaria*, die statuto, hora statuta, coram tabernaculo aut coram imagine B. M. V., perspiciendo qua ratione transacta sit hebdomada et firmando voluntatem quædam melius peragendi sequenti hebdomada; 3° recollectione *menstrua*, in qua quærit sacerdos *a*) quomodo exsecutus sit proposita concepta in annuo secessu; *b*) an hic et nunc paratus sit ad moriendum; 4° recollectione *annua*, qua per plures continuos dies sibi reddere conatur rationem suæ *villicationis*, ut intelligat quæ fuerint *lucra*, quæ *damna*, volens *præterita reparare*, *præsentia ordinare*, *futura prospicere*.

Quartum subsidium est *omnem exercitationem spiritualem recte incipere*, id est non quasi ex improviso et præcipitanter, sed lente, animo recollecto et cum attentione ad prima verba. Multi hoc subsidio mirabiliter juvantur dum recitant Officium divinum.

II. — *De motivis fervoris.*

Primum motivum est vitæ brevitas. Vivimus *semel* tantum, vivimus *brevi* tempore,

et ab hac vita unice et brevi pendet nostra æternitas. O si Sancti redire possent ad vitam, profecto multo ferventius iterum viverent. Res magna est vel *unus* gradus æternæ gloriæ, quem acquirimus ferventer agendo, vel amittimus agendo remissius.

Secundum motivum est vitæ jucunditas. Fervor enim vitam nostram reddit jucundam, omnia reddendo facilia et grata. *Meditatio*, si tepidus sum, onus mihi erit grave ; deliciæ, si fervens sum. — *Recitatio officii*, quam molesta tepido, quam jucunda ferventi ! — *Administratio sacramentorum* tepido gravis, qūia imponit laborem et turbat otium et commoda, ferventi parit suavitatem; et nunquam felicior est sacerdos fervens, quam dum versatur in rebus sanctis.

Tertium motivum est zelus apostolicus. Ingens intercedit discrimen, quoad opera zeli, inter sacerdotem ferventem et sacerdotem tepidum. Qui fervens est :

a) exoptat invenire occasionem laborandi ;

b) occasionem oblatam avide arripit ;

c) se totum applicat rei susceptæ ;

d) intrepido animo superat difficultates, et quo majora occurrunt impedimenta, eo ardentius impellitur suo fervore ad agendum ;

e) fervore stimulante, nihil aggreditur quod non satagat perficere.

Omnino aliter agit sacerdos tepidus ; inhiat enim commodis, captat distractiones, abhorret a labore, fugit quidquid injucundum est, et ad minimam difficultatem animo cadit.

Quartum motivum est famulatus Dei. « *Spiritu ferventes*, ait S. Paulus, *Domino servientes.* » Si servires, o sacerdos, homini tantum, si regi terrestri, forsan mediocris ad famulatum applicatio condonaretur tibi. Sed ille, cui servis, *Dominus* est, scilicet Deus tuus, Pater tuus, Benefactor tuus, Amicus tuus incomparabilis, qui mille te cumulavit beneficiis, qui infinito te prosequitur amore, qui, si fervens fueris, promittit tibi æternam mercedem, qui pro minimo labore redditurus est tibi immensum æternæ gloriæ pondus.

EXAMEN.

Circa fervorem spiritus.

I. An inveniuntur in me *characteres* fervoris sacerdotalis ?

1° An omnia peragere soleo cum *pura intentione ?*

2° An me *totum* soleo applicare rebus quibus ex officio vacare teneor ?

3° An inter agendum soleo *Deum præsentem* cogitare ? An timeo timore *filiali* quidquid oculis Dei posset displicere ? An propter amorem Dei abhorreo a peccato ?

4° An non facile sino me *vinci difficultate* occurrenti ?

5° An soleo rem susceptam *absolvere*, agens *usque ad finem ?*

6° An *arripio* omnem *occasionem* me sanctificandi ?

7° An ex amore Dei *curo minima ?*

8° An mihi est ardens, constans, diligens studium ad faciendam voluntatem Dei *per omnia ?*

9° An paratum me sentio *facere* et *pati* semper *plura* pro Deo meo ?

II. An in me experior *effectus* fervoris sacerdotalis ?

1° An amo laborem ? An labor meus utilis, fructuosus ?

2° An delicatior fit in dies mea conscientia ?

3° An in corde nutrio desideria ardentia?

4° An mea agendi ratione proximo sum ædificationi ?

5° An soleo in meam utilitatem convertere *quidquid* meditor, lego, video, audio pertinens ad profectum in virtute ? An mihi omnia cooperantur in bonum ?

6° An impellit me meus fervor ad opera *generosa ?*

III. An soleo uti *subsidiis* quæ in præcedenti consideratione explicantur ?

O Domine, quam multa peregi tepide, segniter, negligenter, absque gustu, forsan

cum tædio et nausea! Agebatur tamen de rebus *sanctis*, de functionibus *angelicis*, immo et *divinis!* Humiliter a te veniam peto de mea tepiditate, de mea socordia. Cum gratia tua firmiter mihi propono, usque ad proximam recollectionem, omnia peragere quam optime. Adjuva me gratia tua.

RECOLLECTIO III.

MEDITATIO.

De famulatu Dei sacerdotali.

Postquam dixit D. Paulus (Rom., XII, 11) : « Sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, » addidit *Domino servientes*. Scilicet, ut vitemus *pigritiam* et ut *ferveamus* in bonis operibus, proponitur motivum ex dignitate illius cui servimus, *Domino servientes*. Circa hæc verba versabitur præsens meditatio.

1. Præl. Nobis repræsentemus Christum in cœlis gloriose regnantem et servis suis fidelibus præmia æterna elargientem.

2. Præl. Petamus a Deo gratiam ipsi serviendi vere sacerdotaliter.

Sacerdos, *Domino serviens*, Domino suo exhibere tenetur opera sua. Hæc autem sunt multiplicia, cum ille, cui servimus, Rex sit, immo Rex regum, Dominus dominantium. Ergo præstare debet sacerdos Domino suo quæcumque exigit *famulatus regius*.

Dividuntur regis famuli in tres classes: alii adhibentur circa ipsam perso-

nam regis ejusque domum; alii, nomine regis, negotia expediunt regnumque administrant ; cæteri regem, et nomine regis, patriam tuentur armisque custodiunt. Uno verbo : regis cujuscumque famuli vel sunt *aulici*, vel *ministri*, vel *milites*.

Sacerdotes, vi vocationis suæ, æterni Regis sunt simul et *aulici*, et *ministri*, et *milites*. Hinc jam intelligere est qualia sacerdos Deo suo officia præstare teneatur.

Iᵘᵐ Punctum. — **Sacerdos, Dei aulicus.**

Quid facere solent boni aulici ?

1° Gaudent quod possint et debeant quotidie stare coram rege suo et ejus intelligere voluntatem eamque adimplere. Propterea dicebat regina Saba Salomoni : «Beati viri tui, et beati servi tui, qui stant coram te semper et audiunt sapientiam tuam.» (III Reg., x, 8.)

2° Gaudent quod a rege suo aspiciantur et ad ejus familiare colloquium vocentur.

3° Vitant sedulo ne sit aliquid in suo modo loquendi, se se tenendi aut vertendi

quod regi posset displicere aut ejus animum offendere.

4° Ad nutum regis, ad minimum signum regiæ voluntatis, alacres, strenuos et fideles se probare satagunt, ut regis fiduciam assequantur et benevolentiam.

5° Toti sunt in procurando regi quæcumque necessaria sunt ad victum, ad lecti rationem, ad delectamenta; et singularis eis cura est de regia domo, ut in ea splendeant ordo et mundities.

An ego exhibeo me regi meo æterno aulicum bonum et fidelem?

a) An gaudeo quod possum quotidie stare coram rege meo, eum familiariter alloqui, ejus benigno frui aspectu, ejusdem audire sapientiam, sive per sacrificium missæ, sive per exercitium meditationis? An me non tædet esse cum illo?

b) An sedulo vito in ratione loquendi, in ratione agendi, in ratione me interius et exterius habendi, quidquid Deo meo posset displicere?

c) An paratum me ostendo ad nutum regis mei præstare quidquid ei placiturum intellexero?

d) An totus sum in procurando quæcumque pertinent ad personam regis, ad regiam habitationem ? An in tabernaculo, an in altari, an in vestibus sacerdotalibus, an in supellectili ecclesiæ, an in ipsa ecclesia nihil est quod decentiæ repugnare videatur? An omnia munda sunt ? An omnia digna tanta majestate ?

IIum Punctum. — Sacerdos, Dei minister.

Quid facere solent regis ministri fideles ?

1° Conantur cognoscere regis voluntatem, ut nihil ab ipsis præstetur quod a rege improbari queat.

2° Ita exercent potestatem a rege acceptam ut populum sibi commissum minime impellant ad murmurationem, ad querelas, ad odium, ad vindictæ appetitum.

3° In omnibus unice quærunt quæ conferant ad populi bonum, ad patriæ felicitatem, curando ut vitia minuantur, abusus exstirpentur, virtutes exerceantur, ut nullus lædatur in suis bonis, ut splendeat justitia, ut artes floreant, ut

commercium promoveatur. Uno verbo, ita debent regnum administrare ut, propter felicitatem subditorum, ipse rex laudetur, diligatur et gloriosus evadat.

Ego, ut sacerdos, *minister* sum Dei; ipsius vices gero apud populum christianum ; ejus nomine exerceo potestatem prope infinitam ; nomine Dei guberno eam partem Ecclesiæ quam dignatus est Rex meus æternus curæ meæ committere. Meum igitur est me præbere *ministrum fidelem.*

Proinde *a*) debeo sedulo exquirere voluntatem Dei, ut juxta hanc voluntatem, et non pro libitu, gregem meum dirigam. Hanc autem voluntatem Dei plane mihi explicant *canones ecclesiastici* et *statuta diœcesana.* An hos canones, an hæc statuta fideliter observo in administratione meæ parœciæ, meæ communitatis?

b) Debeo ita mea uti potestate, ut inde nullum scandalum oriri possit, ut nullus impellatur ad murmurandum contra auctoritatem Ecclesiæ vel superiorum. An nullus me de abusu potestatis vel de imprudentia posset accusare ?

c) Debeo in sanctis meis officiis et functionibus quærere, non quæ mea sunt, sed quæ JESU CHRISTI. Eo spectare debent mei conatus, in administranda parœcia, ut vitia minuantur, tollantur abusus, exerceantur virtutes, omnium felicitas augeatur. Ambitio boni sacerdotis esse deberet convertere parœciam suam in paradisum terrestrem. An ita soleo gubernare subditos meos ut per me JESUS magis appretietur, diligatur et aliquo modo oculis omnium gloriosus appareat ?

III^um^ PUNCTUM. — **Sacerdos, Dei miles.**

1° Miles multum *afficiatur* oportet erga regem suum et erga patriam. Licet habeat vires, dexteritatem et armorum experientiam, nisi regi et patriæ devotus sit, nihil ab ipso sperandum. Tantus debet esse militis in regem et patriam *amor*, ut paratus sit omni momento pro ipsis subire maxima pericula, immo et mortem oppetere.

2° Insuperabilis esse debet ipsius *fidelitas*. Adeo fidelis esse debet miles, ut nunquam in suspicionem venire queat

eum cum hostibus conspirasse vel incuria sua conatus hostiles adjuvisse. Immo ita fidelis esse debet, ut magis velit mori quam deserere stationem quam defendendam accepit.

3° Præterea necesse est ut magnum exhibeat *ardorem* et invictam *constantiam* in prælio, ut nunquam hosti videatur terga vertere turpi fuga. Ipsi pugnandum est usque ad virium exstinctionem et vitæ jacturam.

Ego sacerdos miles sum Jesu Christi; meum est regnum Regis mei amantissimi defendere et armis et sanguine. Ne ergo mihi desit *affectus*, non *fidelitas*, non *virtus*, non *ardor*, non *constantia!*

An non turpe esset, si ego sacerdos viderem oculo indifferenti Regis mei Jesu Christi jura læsa, auctoritatem contemptam, omni modo impugnatam atque in multis locis pene eversam?

An non turpe esset, si ego sacerdos incuria mea viam aperirem hostibus, qua facilius et efficacius ad perversos suos fines pervenirent?

An non turpe esset, si ego sacerdos, ex quadam ignavia et pusillanimitate,

cogitarem de statione mea deserenda, ne aliquid incommodi vel detrimenti paterer?

An non turpe esset, si ego sacerdos, incepto certamine cum ardore, tandem terga verterem adversariis eisque darem victas manus?

O Domine JESU, non essemus veri tui milites, si non diceremus cum Machabæis: « Moriamur in virtute propter fratres nostros, et non inferamus crimen gloriæ nostræ. » (I Mach., IX, 10.)

CONSIDERATIO.

De spiritu fidei in adversis.

1. Quodam die ascenderat JESUS in naviculam, et eum secuti fuerant discipuli ejus. Ecce autem motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus. Ipse vero dormiebat. Discipuli perterriti accesserunt ad JESUM et suscitaverunt eum, dicentes: « Domine, salva nos, perimus. » Et dixit eis JESUS: « Quid timidi estis, modicæ fidei? » Et surgens imperavit mari, et facta est tranquillitas magna.

Sane et nunc sævit tempestas. Navicula Ecclesiæ infensis agitatur fluctibus; ventus enim ei contrarius est: unde aliquoties

vix non dicimus et nos : « Quare obdormis, Domine? Exsurge et ne repellas in finem. » (Ps. XLIII, 23.)

Quod si oculo fidei aspexerimus tempestatem, non commovebimur, sed sperabimus in Domino, quem firmiter credimus fecisse cum tentatione proventum. In omnibus Dei laboribus et judiciis videbimus cum sancto Leone « *et veritatem justitiæ* et *miserationem clementiæ*... » Intelligemus Deum permittere adversa ut habeamus unde expiemus peccata nostra, et unde augeamus nostra merita. Intelligemus nos adversis vel *corrigi* vel *probari*.

2. Tempore Judith omnia perturbata atque afflicta conspiciebantur. Nulla spes salutis populo Dei affulgebat. Omnium animi in desperationem propendebant. Quod videns sancta vidua, et indignum reputans homines, veritatem fidei doctos, diffidentia laborare erga Deum, duos ad se vocat presbyteros, eisque dicit : « Et nunc, Fratres, quoniam vos estis presbyteri in populo Dei, et ex vobis pendet anima illorum, corda eorum erigite, ut memores sint quia tentati sunt patres nostri, ut probarentur si vere colerent Deum suum. Memores esse debent quomodo pater noster Abraham tentatus est, et per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est. Sic Isaac, sic Jacob, sic Moyses, et omnes qui placuerunt Deo,

per multas tribulationes transierunt fideles.» (Jud., VIII, 21.)

3. Divus Augustinus aureum suum librum *De civitate Dei* composuit eo fine ut ad fiduciam incitaret fideles sui temporis, qui nimiis calamitatibus pressi, de divina Providentia dubitare cœperant. Ostendit admirabili eloquentia (Lib. I, c. 8) res adversas hujus vitæ alios omnino producere effectus, prout considerantur vel oculo carneo, vel oculo divino. « Sub eodem tormento, inquit, non est idem *virtus* et *vitium*. Nam sicut sub uno igne aurum rutilat, palea fumat, et sub eadem tribula stipulæ comminuuntur, frumenta purgantur, nec ideo cum oleo amurca confunditur, quia eodem preli pondere exprimitur : ita una eademque vis irruens *bonos* probat, purificat, eliquat; *malos* damnat, vastat, exterminat. Unde in eadem afflictione *mali* Deum detestantur, atque blasphemant; *boni* autem precantur et laudant. Tantum interest non *qualia*, sed *qualis* quisque patiatur. »

In mediis igitur ærumnis nostris et tribulationibus quas patimur, fide firma ducti, nos committamus potentiæ, sapientiæ, misericordiæ Dei nostri, et nunquam erimus quibus debeat dicere JESUS : « Quid timidi estis, modicæ fidei? » « Modicæ fidei, quare dubitasti? »

EXAMEN.

Circa modum bellandi bella Domini.

1° Qualis fui in rebus adversis, sive privatis, sive publicis ?

2° An soleo præsentes Ecclesiæ clades aspicere oculo fidei ?

3° An nunquam dubitavi de Dei providentia ?

4° An non visus sum me tradere animi dejectioni, tristitiæ, diffidentiæ, pusillanimitati?

5° An in *omnibus* rebus, jucundis et ingratis, soleo Deo gratias agere ?

6° An propter res adversas non remissior factus sum in modo famulandi Deo ?

7° An forsan soleo committere quædam peccata propter quæ minus idoneus evado ad vincendos hostes ?

8° An *ardens* fui, *constans*, *fidelis* in frangendis conatibus adversariorum ?

9° An conor adversariis opponere vitam *sanctam*, *sobriam*, *ferventem*, operibus plenam ?

10° An nullus in aliqua re posset me arguere *imprudentiæ ?*

11° Si mihi nunc moriendum esset, an videor satis fecisse pro ratione

prædicationis ?
administrationis sacramentorum ?
puerorum formationis ?
ægrotantium consolationis ?
pauperum sustentationis ?

O mi JESU, quam multa sunt in quibus me deprehendo defecisse ! In me habe patientiam. Volo me totum ad te convertere. Statutum mihi est ita transigere mensem sequentem, ut merito possit esse ultimus vitæ. Firmiter mihi propono id efficere :

1° Ut bene, fideliter, ferventer instituam omnia exercitia spiritualia.

2° Ut fungar strenue omnibus functionibus sacerdotii mei, ita ut nulla admittatur negligentia voluntaria.

3° Ut omni utar occasione *te* laudandi, *me* sanctificandi, *proximum* adjuvandi, *adversarios* debellandi.

Hæc mea proposita depono in Corde tuo amantissimo per manus Matris tuæ et meæ Immaculatæ. Annuere dignare hisce piis desideriis meis. Omnia possum in *te*, sine *te* nihil. Velis me adjuvare omnipotenti tuo auxilio, ut et *orando*, et *agendo*, et *patiendo* appaream inter homines alter Christus. Amen.

RECOLLECTIO IV.

MEDITATIO.

JESUS exemplar sacerdotis in labore.

1. Præl. Nobis repræsentemus JESUM in deserto curantem languidos et plura millia hominum miraculoso pane reficientem (Matth., XIV).

2. Præl. Petamus a Deo gratiam nos exhibendi in labore tales qualem se exhibuit JESUS.

Fatigatus ex labore secesserat JESUS in desertum, ut paululum quietis sumeret ; sed ecce advenit ingens hominum turba, cupida audiendi verbum divinum. Quid JESUS ? Pastor bonus ostendit se *generosum, suavem, misericordem, prudentem et beneficum.*

I^um^ PUNCTUM. — **Ostendit se generosum.**

Licet fatigatus nimis, totum tamen se impendit in utilitatem istorum hominum, oblitus suæ fatigationis.

Sic, o bone sacerdos, non raro accidet ut jamjam legitimam sumpturus quietem, iterum surgere debeas de nocte ut auxilium feras ægrotanti...

Noli cunctari... Exhibe te *generosum*.

IIum Punctum. — **Ostendit se suavem.**

Tam *suavis* erat Christi sermocinatio, tam *dulcis* ejus conversatio, ut turbas hominum ad se traheret. Et adeo sua loquela mentes eorum capiebat, ut ne de rebus quidem vitæ necessariis cogitarent.

Et ego sacerdos Jesu, ego legatus et præco, an non forsan homines arceo a me et a meis concionibus?

O mi Jesu, da mihi ut populo meo prædicem verbum *tuum*, non meum; verbum *divinum*, non humanum. Da ut nunquam promam nisi ea quæ sint ad captum audientium et ad sanctificationem animarum. Da ut prædicatio mea nunquam sit in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ea semper memor sim me pro te legatione fungi, ac proinde mihi non esse quærendam gloriam meam, sed ejus qui misit me.

III^um PUNCTUM. — **Ostendit se misericordem.**

« Vidit, ait Evangelista, turbam multam, et *misertus* est eis, et *curavit* languidos eorum. » (Matth., XIV, 14.) En cor JESU !

Quisnam est affectus meus erga parochianos vel subditos meos in afflictione, in necessitate, in infirmitate constitutos? An misereor eorum ? An curo languidos, saltem eos invisendo, consolando, pro eis orando, vel eis aliquid auxilii procurando ?

Et inter languidos, nonne soleo negligere illos qui maxime indigent meo auxilio, *viros* scilicet parœciæ meæ ?

Vir caput est familiæ, caput civitatis, caput societatis. *Viri* gubernant res publicas, condunt leges, faciunt bellum et pacem. In manibus *virorum* bonus vel malus status populorum maxima ex parte situs est. Auctoritas, fortitudo, magistratus, sacerdotium, scientia naturaliter pertinent ad *virum*. O si viros haberemus multos Religionis amantes et legis sanctæ factores ! Quam potens esset sacerdos ad tuendam ac dilatan-

dam fidem Christi! Quanta cum libertate, quanto cum fructu laboraret ad sanctificationem animarum!

O Domine, nos, sacerdotes tui, quandoque dolemus quod ministerium nostrum, tam sublime, tam arduum, ad quod per tot annos nos præparare debuimus, terminari debet fere ad solam sanctificationem mulierum et puellarum. Sed an pro virili parte contendimus viros nostræ paræciæ nobis conciliare? An ego usus sum omni occasione captandi benevolentiam talis vel talis viri, qui, si semel intellexisset se a suo pastore non negligi, victas manus facile dedisset et bonus nunc esset christianus? O Domine, da mihi lumen, da mihi robur, ut sciam quid agam in re tanti momenti.

IV^um^ PUNCTUM. — **Ostendit se prudentem.**

Prudentia est suorum animos, tempore opportuno, erigere ad spem et ad fiduciam. Anxii erant apostoli, solliciti erant de cibo; rogant proinde Dominum ut dimittat turbas: timent enim ne pereant fame. Sed JESUS, sereno et

placido vultu, turbas sedere jubet, et ostendit viros apostolicos nunquam debere dubitare de bonitate Dei et de ejus singulari erga suos providentia, dummodo hi voluerint quærere *primum* regnum Dei et justitiam ejus. (Matth., VI, 33.)

Sic et ego debeo frequenter ad spem erigere meos subditos animo fractos ac pene jacentes. Stimulos addere debeo modo vicario meo, modo ludimagistro, modo fabricæ administratoribus, modo viris qui rebus publicis sunt addicti... ne scilicet, difficultatibus et tædio devicti, animos despondeant et a bene cœptis deficiant.

Sed quomodo alios excitare et erigere potero, nisi ipse, omni eventu major, totam meam spem reponam in illo in quo *nullus unquam speravit et confusus est?* (Eccli., II, 11.) Ergo, semper mei compos, semper mihi constans, semper animosus et vultu serenus, in omni difficultate tibi dicam, o mi JESU : « In te, Domine, speravi, non confundar in æternum. » (Ps. XXX, 2.) « Si consistant adversum me castra, non

timebit cor meum. Si exsurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo. » (Ps. XXVI, 3.)

V^um^ PUNCTUM. — **Ostendit se beneficum.**

Nutrit eos pane miraculoso..... et quanto cum affectu !...

Et ego accepi potestatem miraculose panem, non dico multiplicandi, sed transmutandi in Corpus Dominicum. Qua majestate et reverentia hoc miraculum peragere soleo, et quo affectu hunc panem divinum aliis distribuo ?

O mi JESU, tuo admirabili exemplo instructus, jam non parcam labori... et libenter me totum impendam pro ovibus meis. Adjuva me, nam *omnia* possum in te !

CONSIDERATIO.

De domo sacerdotali.

Qualis debet esse in *domo* sua sacerdos, ut ibi vivat sancte, jucunde, fructuose ?

Qui voluerit huic quæstioni adæquate respondere, multa consideranda habebit.

1° Considerare debebit *ipsam domum* pastoralem cum supellectili sua ;

2° *Personas* quæ ad eam veniunt vel quæ in ea commorantur ;

3° *Ipsum sacerdotem*, modo orantem, modo laborantem, modo bene valentem, modo morbo tabescentem,vel etiam morientem.

Et in his omnibus circumstantiis semper præ oculis habendum erit id quod intendimus,nempe quomodo in his se gerere debeat sacerdos ut merito dicatur vivere *sancte jucunde, fructuose.*

Domus sacerdotalis, qualiscumque sit, sive palatium episcopale, sive domuncula pastoralis, sive simplex et humile cubiculum, sacerdoti *paradisus* esse debet.

Paradisus erit habitatio nostra, si in ea splenduerint hæc tria :

nitor conveniens seu *mundities*,
conveniens *ordo*,
aurea *mediocritas.*

1° *Mundities*, judicio medicorum, multum confert ad valetudinem conservandam. Præterea inservit quam maxime proximi ædificationi ; est enim mundities *ædium* imago munditiei *animarum*. Quapropter sacerdos consulens valetudini suæ et proximi ædificationi, exiget a famula sua ut ipsam domum et omnia quæ in domo sunt, munda conservet. Pauperes esse possumus, sordidi nunquam.

2° *Ordo conveniens* requiritur. « Ordo,

dicit S. Augustinus, dux est ad Deum. » « Custodite ordinem, dicit S. Bernardus, ut ordo vos custodiat. »

Ex altera parte, ubi deficit ordo, ibi ingens est detrimentum temporis,ibi fastidium et molestia multorum, ibi in multis rebus imperfectio. Quis dubitet in paradiso terrestri arbores *rite* et *ordinate* a Deo fuisse plantatas ? In nostro paradiso omnia suo loco posita conspiciantur. Bibliotheca ordinata sit ; vasa culinaria ordinata ; ordinata jaceant scripta et codices in pulpito; ordinatæ pecuniæ in arca.

Incredibile est quam prompte et quam jucunde expedire soleat sacerdos quotidie res suas, cujus in domo viget *ordo* et qui in omnibus cum ordine procedit.

3° *Aurea mediocritas.*

Quam bene congruit ori sacerdotali hæc Sapientis oratio : « *Mendicitatem* et *divitias* ne dederis mihi ; tribue tantum victui meo necessaria. » (Prov., XXX, 8.)

Statuta diœcesana nos exhortantur ad devitanda caute et *avaritiam* et *prodigalitatem*, utpote spiritui ecclesiastico adversa. Volunt ut summa sit in omnibus clericorum rebus *modestia*, in domo, in supellectili, in mensa, in vestibus. Proinde reditus suos pastor bene cognoscat et ad ipsos sumptum accommodet. Pro infortuniis aliquid reservet, sed ære alieno nunquam se oneret.

Ita igitur instruat domum suam, ita ornet eam, ut in ea habeat quæ rationabiliter sibi optare possit. Caram et dilectam debet sibi facere domum suam, ut libenter in ea maneat, ut non nisi ægre eam deserat, ut quando pro officio eam deserere debuerit, ad eam redire properet. Quam verum est quod dixit auctor libelli *de Imitatione Christi* « dulcescere cellam continuatam ! »

Ergo supellex sit sufficiens... nitida... ad utilitatem accommodata ; non vero exquisita... sumptuosa... magnifica vel superflua.

Necesse etiam est ut habeat sacerdos bonam bibliothecam, instructam libris non multis sed *selectis*, qui amplam præbeant materiam studiis ecclesiasticis, ut sunt eximii Scripturarum commentatores, præcipua Patrum opuscula, probati theologi, egregii catechismi explanatores, ascetici magnæ et probatæ auctoritatis, vitæ sanctorum, libri ecclesiasticæ historiæ.

Ergo domus sacerdotalis fulgeat *nitore munditici, pulchritudine ordinis, sancta rerum mediocritate*, et facile erit bono sacerdoti paradisus.

EXAMEN.

Circa impedimenta gaudii sacerdotalis.

Gaudium sacerdotale impedire solent *phantasia, tentatio, desolatio.*

I. *Phantasia.* — Ea utitur diabolus modo ut speculo *concavo*, in quo res conspiciuntur *exaggeratæ* et *monstruosæ*, ut nos deterreat a labore ; modo ea utitur ut speculo *convexo*, in quo res apparent *minutæ* et *gratiosæ*, ut nos alliciat ad sensualia ; modo ea utitur ut speculo *plano*, in quo videntur res *ubi non sunt*, ut nobis injiciat suspicionem adversus fratres.

1° An non sæpe sino me decipi phantasia, apud memetipsum exaggerando difficultatem laboris, ita ut ex timore difficultatis laborem fugiam ?

2° An non sæpe sino me decipi, mihi repræsentando res mundi jucundiores quam sunt in se, ita ut videar fastidire gaudia vitæ spiritualis et adspirare ad gaudia mundana?

3° An non sæpe sino me decipi phantasia mea, attribuendo aliis culpam quam mihi attribuere deberem ?

II. *Tentatio.* — Monet nos S. Petrus « diabolum tamquam leonem rugientem circuire,quærentem quem devoret,et nos debere ei resistere fortes in fide. »

1° An oculo fidei considerans tentationem, intellexi « Deum fecisse proventum cum tentatione ;... virtutem perfici in infirmitate ;... Dei gratiam sufficere et dari gratiam petenti ;... nos omnia posse in eo qui nos confortat ; certamen forte dari ut vincamus ;... vincenti dandum esse manna

absconditum ;... Deum permittere tentationem ad nos erudiendos ?

2° An, juxta consilium S. Thomæ, vito in omni tentatione *admirationem, timorem, tristitiam ?*

3° An resisto tentatori *prompte*, *fortiter*, *constanter*, *dextere*, eliciendo actum amoris Dei ?

III. *Desolatio.* — Desolatio vel est pœna propter culpam, vel est probatio ad meritum. Ast qualiscumque sit causa desolationis, ea utitur diabolus ut nos animo dejiciat.

An pugno contra desolationem :

1° nihil mutando in bonis propositis quæ concepi tempore consolationis ;

2° memetipsum mutando, ita ut, occasione desolationis, coner melius orare, melius laborare, melius pati adversa ;

3° me animando spe proximæ consolationis, quæ sine dubio mihi dabitur, si transeo per tribulationes *fidelis* ?

RECOLLECTIO V.

MEDITATIO.

De vocatione sacerdotali.

1. Præl. Repræsentemus nobis Christum Dominum colloquentem cum discipulis in ultima Cœna, et audiamus eum dicentem: « Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat. » (Joan., XV, 16.)

2. Præl. O Domine, da nobis gratiam intelligendi quæ et quanta sit vocatio nostra, et simul vitam deinceps tantæ vocationi conformandi.

In vocatione sacerdotali hæc duo utiliter considerari possunt :

1° Ipsa vocatio,

2° Intentio vocantis.

Ium PUNCTUM. — Ipsa vocatio.

Vocatio nostra ad sacerdotium *divina* est, *sublimis* est, *admirabilis* est.

1° *Divina* est.

Dixit enim Christus congregatis ad cœnam Apostolis, postquam eos sacer-

dotes consecravit : « Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. »

Ergo ipse *Deus* me vocavit ;... Rex regum et Dominus dominantium ;... infinite sapiens et beatus ;... ipse me ab æternitate segregavit ; elegit me;... elegit non casu, non temere, non coactus necessitate, sed libere, ductus amore, sciens et volens. O quanta mihi inde oriri debet *æstimatio* vocationis, cum *talis* ac *tantus* sit qui me vocavit!

« *Electio*, ait P. Neumayr (Opusc. *de gratia vocationis*), est actus *benevoli amoris*, quo quis incitatus uni præ altero beneficium facit. Igitur qui vocavit me Jesus, *dilexit* me, et vocatio ipsa pignus est singularis *erga me* amoris. Quod si in omni beneficio non tam id quod datur respicimus, quam dantis *affectum* et *personam*, quis mihi dabit verba quibus explicem gaudium, in quo natat cor serio pensitantis quid sit posse non timide dicere: *Jesus me amat et plus me amat quam multos alios:* certum pignus amoris habeo, meam scilicet vocationem. Profecto si beati vocantur quos elegit Salomon, ut assisterent coram se, segre-

gati de fæce plebis, ego beatissimus sum in quem oculos conjecit Dei Filius, atque in novissimo loco assidentem cœnæ magnæ clementer intuitus, vocavit ad se, inclamans : *Amice, ascende superius.* (Luc., XIV, 10.) Talis a tali vocatio quem non afficit suaviter, lignum aut saxum est.»

2° *Sublimis* est.

Ad quid enim me vocavit Dominus? Ad altissimam dignitatem, ad dignitatem *sacerdotalem.*

Vocasti me, o mi JESU, vocatione qua sublimior sub cœlo cogitari non potest!

Memini felicis horæ, qua dictum est mihi : « *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, Missasque celebrare.* » Ita repente factus sum Josue major, et potui, non solem sistere, sed Factorem solis de cœlo trahere, « *obediente Domino voci hominis.* » (Jos., X, 14.)

« Neque hic substitit vocantis dignatio. Addidit primæ potestati exercendæ in *Corpus suum verum*, potestatem alteram exercendam in *Corpus suum mysticum.* Dictum est mihi :

« *Accipe Spiritum Sanctum :* quorum remiseris peccata, remittuntur eis, et quorum retinueris, retenta sunt. » Ecce factus sum judex regum et principum, judex orbis terrarum, et judex in causa vitæ ac mortis *æternæ.* »

« Accedit potestati *character* impressus animæ. Sacerdos factus sum, non uti reges, sive jure sanguinis, sive per hæreditatem, sive per electionem, sive per acceptationem, sed per *consecrationem*, cujus virtute ita mihi mea *dignitas sacerdotalis* est *propria*, ut potestatis exercitium quidem inhiberi, potestas ipsa vero auferri, nullis humanis viribus possit. O magna, o sublimis gratia vocationis sacerdotalis ! Hac vocatione prope par Apostolis incedo, factus, ut ipsi, *minister Dei ad aram.* Cum sto ad aram, opus operor multo mirabilius quam si novum cœlum et terram novam crearem ex nihilo ; et hæc est synopsis meæ potentiæ : a cœlo Deum in terram traho ; a terra homines in cœlum tollo. O potestas ! O dignitas ! O dignatio ! O ingens gratia! Profecto, *non sum sicut cæteri*

hominum. (Luc., XVIII, 11.) Elevatum est solium meum, et similis Altissimo sum. Verumtamen in Domino gloriabor ; nec enim de *jure* aut *ex merito*, sed ex *gratia* Dei sum id quod sum. Quid retribuam Domino, qui certe *mihi fecit magna qui potens est ?* Magnificat ergo anima mea Dominum, et exsultavit Spiritus meus in Deo salutari meo. » (P. Neumayr, ibid.)

3° *Admirabilis* est.

Et *quem* ad talem vocationem elegit Dominus? Me elegit, nullo meo merito; qui peccando me indignum feceram tantæ dignitatis ; me pejorem multis juvenibus aliis quos reliquit in sæculo innumeris periculis et miseriis expositos ; me quem sciebat tam male responsurum esse tantæ bonitati, tantæ misericordiæ... me elegit !

Et *quomodo* me vocavit ? Quam suaviter, quam fortiter simul ! O Domine, quam jucundum mihi est recordari quomodo sensim sine sensu mentem mihi induxeris de sacerdotio aliquando amplectendo ;... quomodo e via mea sustuleris impedimenta innumera quæ

vocationi meæ obstare videbantur ;... quomodo me forsan reluctantem amoris tui argumentis et sanctis industriis superaveris ;... quomodo manu delicatissima me deduxeris ad seminarium, ut tandem multis curis excultum me eveheres ad apicem dignitatum, ad dignitatem sacerdotalem. Vere, Domine, *deduxit me mirabiliter dextera tua.* Propterea exaltabo te, et glorificabo te. In æternum misericordias tuas cantabo. Simul, o Domine, doleo ex toto corde quod tanta vocatione non magis me dignum ostendi. Firmiter mihi propono cum gratia tua deinceps meam vocationem *magni facere, amare, honorare, custodire,* vocationi quam optime respondere.

II^um^ PUNCTUM. — **Intentio vocantis.**

« Elegi vos et posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat. »

Ergo tria intendit Dominus dum me constituit sacerdotem :

1° Intendit *progressum* meum,

2° *fructum,*

3° fructus *conservationem.*

1° Similis est Deus *agricolæ* qui plantavit ficulneam. Quantis nempe curis agricola quivis ficulneam suam, adhuc teneram, circumdat, ut paulatim surgens solidior evadat, continuum accipiat incrementum, et tandem planta perfecta sit!

Sic Deus sacerdotem suum vult continue crescere, usquedum perfectus sit vir in Christo. Ut ergo respondeam intentioni vocantis me ad sacerdotium, necesse est ut veros et constantes adhibeam conatus ad eundum de virtute in virtutem et ad sequendum Jesum per viam quam mihi ostendit. Sed proh dolor! forsan merito quis de me dicere possit quod Daniel dixit de statua, quam Nabuchodonosor viderat in somnis: « Caput ex *auro* optimo erat, pectus autem et brachia de *argento;* porro venter et femora ex *ære;* tibiæ autem *ferreæ*, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem *fictilis.* » (Dan., II, 32, 33.) Eram initio vitæ clericalis ferventissimus; paulatim deferbuit ille primus ardor, et propter tepiditatem

animus meus quasi æreus factus est, immo et ferreus visus sum propter duritiem cordis ; utinam non factus videar fictilis et similis luto !

2° Intendit Deus *fructum.*

« Posui vos ut eatis et fructum afferatis. » Exspectat a nobis Dominus fructus multiplices ; exspectat fructus ex nobismetipsis producendos; exspectat fructus producendos ex iis, quos nobis excolendos dignatus est committere.

a) Quod si Dominus nunc ad me accederet, sicut olim ad ficulneam et quæreret fructus, an fructus inveniret? Quam turpe esset, si et de me dicere possent : « Et nihil invenit in ea nisi folia tantum.» (Matth., XXI, 19.) Timendum esset ne diceret mihi JESUS: « Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum. »

O Domine, si ab ultimis exercitiis non feci fructus humilitatis,... patientiæ,... caritatis... sanctitatis ; si negligentia mea, ignavia mea meritus sum ut dicas mihi : « Succide ergo illam; ut quid etiam terram occupat? » (Luc., XIII, 7.)

liceat mihi te deprecari; liceat mihi dicere cum vera pœnitudine: « Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi! » Ficulnea tua dilecta non jam *foliis* tantum se teget, sed uberrimos tibi fructus producet eosdemque eximios.

b) Exspectat etiam fructus per me ex aliis producendos. Etenim locavit mihi Dominus partem vineæ suæ ut illam excolam, exstirpando ex ea zizania, eamque ditando semine omnium virtutum.

Ubi igitur fructus? Ubi messis? Væ mihi, si dicere cogor: « Vineam meam non custodivi. » Væ mihi si, propter socordiam meam et negligentiam, terra illis sterilis facta fuit et obducta vepribus et spinis. Sed præsertim væ mihi, si per me ipsum fructus vineæ perierunt; si de vinea mea dicitur: « Singularis ferus depastus est eam. » (Ps. LXXIX, 14.)

3° Non solum intendit Dominus fructus, sed etiam fructuum *conservationem.*

« Elegi vos ut... fructus vester maneat. » Non ergo sufficit ut *aliquando* fructus in me et in aliis retulerim, fer-

venter agendo, strenue laborando. Necesse est ut sic faciens *perseverem* usque in finem. Fructus unius diei non dignus est ut tantæ offeratur Majestati; fructus *perpetuos* ei offerri convenit. Non sane sufficit per exiguum aliquod tempus fervuisse in famulatu Dei, si dein ad torporem nos delabi sivimus; non sufficit manum ad aratrum admovisse, si dein retro respeximus. Salomon, Judas et multi alii bene cœperant; et tamen quis non terreatur videndo quomodo finierint?

O mi Deus, elegisti me, non ut de temporalibus mihi provisum sit, non ut vitam in otio turpi teram, non ut jucundam et mollem vitam agam, non ut sim in honore apud homines, sed ut eam, progrediendo in dies, ut simul fructum feram te dignum in me et in aliis, virtutes colendo statui meo et meo apostolatui convenientes, et ut hunc fructum conservem perseverando in bene cœptis, ita ut nulla vis, sive humana, sive diabolica, me ab illis revocare valeat. Qui dedisti mihi *velle*, da et *perficere*.

CONSIDERATIO.

De domo sacerdotali (2°).

Consideremus jam *personas* quæ adire solent ad *domum pastoralem*. Videamus quomodo erga eas sacerdos se gerere debeat.

Quænam sunt *admittendæ ?* Quænam *excludendæ ?*

I. Adveniunt frequenter *parochiani*, operam pastoris expetituri. Hos *semper*, ... *statim*,... et *benigne* excipiat pastor, et, si possit, eis *plene* obsecundet. Adeo se eis paratum ostendat, ut videatur *libenter eorum causa* deserere alia negotia, amicos, immo et ipsam orationem. Neque permittet ut parochiani *iterum* petere aut *diutius* exspectare cogantur; nullaque sit *personarum acceptio*.

II. Adveniunt etiam frequenter *miseri* et *pauperes*, et talibus deberet esse domus pastoralis absque januis. Pauperibus et miseris *semper* aditus ad pastorem pateat. Sunt enim quodammodo *legati* magni Regis, et veniunt nomine Regis sui accepturi e manu pastoris exiguam pecuniam quam deferant ad *argentarium cœlestem*.

Admirabilia sunt verba S. Petri Chrysologi : « Thesaurus cœli est manus pauperis: quod suscipit ne in terra pereat, reponit in cœlum. Manus pauperum est *gazophylacium* Christi, quia quidquid accepit pauper

Christus acceptat. Da ergo, homo, pauperi *terram*, ut accipias *cœlum ;* da *nummum*, ut accipias *regnum ;* da *pauperi*, ut des *tibi*. Quidquid pauperi dederis, tu habebis; quod pauperi non dederis, habebit alter. Est in cœlo misericordia, ad quam per terrenas misericordias pervenitur. »

Utinam nobis præsentia sint verba Domini, dum forsan nos molestat numerus pauperum ad januam nostram pulsantium : « Et ego vobis dico, facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. » (Luc., XVI, 9.) Si in vestibulo domus pastoralis aliqua inscriptio esse deberet, hæc optime conveniret: « Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis. »

III. Adveniunt etiam *confratres sacerdotes*. Sane singulari benignitate et hilari vultu hos semper excipiat pastor. Vitabit tamen ne hospitem invitum detineat diutius quam oportet cum amissione temporis pretiosissimi.

Caritas sit eximia et generosa, sed conjuncta cum sancta libertate.

IV. Denique adveniunt *mulieres* et *puellæ*. In primis cavebit prudens pastor ne *feminæ suspectæ* domum parochialem ingrediantur vel ibi pernoctent. « In te enim, ait S. Hieronymus, ad Heliodorum scribens, in te oculi omnium diriguntur ; domus tua

et conversatio tua quasi in speculo constituta, magistra est publicæ disciplinæ. »

Si oporteat ut pastor feminas alloquatur, curet ut *solæ* non veniant, vel si secreto cum iisdem loqui debeat, ad confessionale accedant, aut saltem janua aperta cum eis colloquatur. Sic faciebat S. Franciscus Salesius.

Sine necessitate nunquam *protrahat* colloquia cum feminis vel puellis ; facile enim exinde tria mala oriuntur : *lucrum cessans*, *damnum emergens* et *periculum sortis*.

Ergo *parochianos* ad negotia parochialia venientes excipiet prompte eisque obsecundabit.

Pauperes excipiet cum caritate benigna et liberalitate.

Confratres hilari vultu excipiet et hospitalitate christiana recreabit.

Feminas suspectas et dubiæ famæ a domo sua sedulo arcebit ; *alias* raro et cum summa prudentia admittet, atque ita cum eis conversabitur ut nulli unquam inde aliqua suspicio suboriri possit.

EXAMEN.

Circa vigilantiam sacerdotalem.

Dixit Dominus omnibus fidelibus, sed speciatim sacerdotibus suis : *Vigilate.* An sum vigilans? An invigilo *mihi?* An invigilo *meis?*

I. An invigilo mihi, ne intrem in tentationem?

Proinde:

1° An invigilo *imaginationi*, ne excurrat extra limites prudentiæ et honestatis?

2° An invigilo *cogitationibus meis*, ne sint erroneæ, temerariæ, caritati contrariæ?

3° An invigilo *cordi meo*, ne inclinet in peccatum? An non nutrio affectum inordinatum vel amoris, vel odii, vel rancoris, vel vindictæ?

4° An invigilo *oculis meis*, ne aspiciendo nimia cum libertate quæcumque se offerunt aspectui, aperiam *fenestram morti?*

5° An invigilo *linguæ meæ*, ne dicam quod contrarium sit vel veritati, vel caritati, vel prudentiæ, vel puritati?

6° An invigilo *lectionibus meis*, ne imprudenter legendo minus caste scripta, obnubilem meam castitatem?

7° An invigilo *colloquiis meis*, ne ansam præbeam malevolis suspicandi integritatem meam sacerdotalem, sinceritatem, doctrinam, probitatem?

8° An invigilo *litteris quas scribo*, ne contineant aliquid ex quo sumeret quis vel scandalum vel offensionem?

9° An invigilo *litteris quas accipio*, ne aliquæ, sine necessitate conservatæ, post mortem famæ meæ vel aliorum nocere possint?

10° An invigilo *pecuniis* mihi commissis,

ut, me mortuo, omnes et singulæ tanto ordine in arcula depositæ sint, ut hæredibus meis nullas pariant tricas ?

11° An invigilo *debitis meis*, ita ut non elabantur e memoria et tempore opportuno solvantur ?

II. An invigilo *meis*, scilicet ovibus quarum curam mihi commisit Dominus ?

1° An invigilo *pueris*, ut rite doceantur religionis rudimenta, ut rite ad primam communionem præparentur, ut christianam accipiant educationem ?

2° An invigilo *ægrotis*, ut visitentur, ut tempore opportuno ultimis reficiantur sacramentis, ut omnes religionis consolationes percipiant ?

3° An invigilo *pauperibus*, ut non negligantur, ut in peccatis et malis moribus non tabescant, ut sacramenta frequentent ?

4° An invigilo *nupturientibus*, eos docendo quæ scire debent, ut rite et sancte ad matrimonium se præparent ?

5° An invigilo *viris*, ut eos contineam in castris Domini et eos qui in castris sunt Satanæ ad nostra reducam ?

6° An invigilo *sociis* mei ministerii, ut agant prudenter, fugiant periculum, exercitiisque spiritualibus vacent, et incumbant labori utili ?

7° An invigilo *ludimagistris*, ut rite

doceant adolescentulos eosque informent bonis moribus?

8° An invigilo *officialibus meis*, ut omnia in ecclesia faciant tempestive, diligenter, ad omnium ædificationem?

O Domine JESU, qui toties nos exhortatus es ad vigilantiam, da mihi gratiam eam acquirendi in summo gradu, ita ut, cum veneris, invenias me *vigilantem* et sic possis me prædicare *beatum*.

RECOLLECTIO VI.

MEDITATIO.

De patientia sacerdotali.

1. Præl. Audiamus S. Paulum nobis dicentem : « Patientia vobis necessaria est : ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. » (Hebr., x, 36.)

2. Præl. O Domine, da mihi gratiam consequendi patientiam mihi sacerdoti necessariam.

Tria hic consideranda sunt :

1° *Unde* tribulationes sacerdotis ;

2° *quo oculo* aspiciendæ ;

3° *quo animo* ferendæ.

Iᵘᵐ Punctum. — Unde tribulationes sacerdotis ?

Tres sunt præcipui fontes tribulationum nostrarum.

Primus fons est ipsa *societas* in qua vivimus.

Secundus fons est ipsa nostra *vocatio*.

Tertius fons est ipsum *officium* sacerdotale.

Iᵘˢ Fons. Societas in qua vivimus,

societas est *hominum* et quæ ab hominibus regitur. Atqui ubi homines, ubi hominum regimen, ibi errores, ibi imprudentia, ibi peccata. Ubi plures homines inveniuntur, fieri non potest quin unus alterum aliquoties offendat et invicem etiam nolentes molestiam exhibeant. Adversa igitur patimur, quia *homines* inter homines vivimus.

2^us^ *Fons. a)* Ut sacerdotes, vocati sumus ad sequendum JESUM. Jam vero nemo sequitur *serio* Christum Dominum quin teneatur seipsum abnegare; hæc autem abnegatio esse non potest quin nobis vim inferamus, quin sentiamus aliquam repugnantiam. Sed ubi vis, ubi repugnantia, ibi passio, ibi cruciatus. Quis sacerdos ignorat in sequela JESU, quam ipse vocat *viam arctam*, *portam angustam*, non omnia semper arridere naturæ, non omnia esse jucunda? Si nihil unquam incideret tolerandum, si nihil patiendum, ubi esset sacrificium? Ubi meritum? Ubi victoria? Adversa igitur patimur, quia vocatione sumus Christi *sectatores*.

b) Nos etiam elegit Deus in *amicos;*

Deus autem, utpote fidelis, amicis suis non deest, sed eis omni quo potest modo opitulatur ; libenter igitur ipsis subministrat ea media quibus *facilius, copiosius, brevius* ditari possint. Atqui nullum est ad hoc medium efficacius quam *pati* et *sustinere adversa*. Ergo patiendum nobis est, quia *speciali dilectione* nos diligit Deus.

3^us^ *Fons.* Officium nostrum est officium *apostolicum ;* apostolorum est versari ut *agnos* in medio luporum, docere, increpare « in omni patientia et doctrina ; » omni conatu eripere animas e faucibus inferni ; proinde fatigari, diu noctuque pro animarum commodis vigilare, studere, laborare, angi, impendi et superimpendi, vel cum virium et sanitatis detrimento. Tenetur etiam ex officio sacerdos casas pauperum subire, haurire naribus fœtorem morborum, contagionum pericula contemnere. Non raro tenetur pugnare contra pravos abusus, ut aboleantur, aut non introducantur ; atque ita multorum iras excitare, ferre odia, injurias devorare. Tale autem officium quomodo impleri potest

quin sacerdos procreet sibi plura tædia, multas molestias, et ex parte dæmonum et ex parte subditorum et quandoque ex parte superiorum? Merito igitur exclamare poterit sacerdos cum Apostolo: « Propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oves occisionis. » (Rom., VIII, 36.) Non jam mirabor, o mi JESU, me obnoxium esse multis tribulationibus, siquidem ipse dixisti dilectis Apostolis tuis: « Quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit; vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. » (Joan., XVI, 20.)

II^mi PUNCTUM. — **Quo oculo aspiciendæ?**

1° Si aspicio tribulationes meas *oculo animali*, seu secundum hominem in quantum homo *animal* est, tota vita mea sacerdotalis stultitia videbitur; stultitiam enim judicat *animalis* homo, desideria sæcularia ultro abjicere, castitatis vinculo se in perpetuum obstringere, ingratos et continuos obire labores alienæ utilitatis causa, vivere ex obedientia, per multos annos ignotum, inter

rusticanos homines, pauperes et rudes, et inter tales consumere vires, laboribus frangi. Non æstimat enim animalis homo nisi quæ placeant carni et amori proprio. O sane, si tali oculo aspicerem molestias meas et labores, infelicissimus essem hominum.

2° Tribulatio considerata *oculo philosophico*, seu secundum hominem in quantum homo *rationabilis* est, nunquam habebitur tamquam *verum malum*, immo inter *bona* reponetur. Etenim *ope rationis* intelligo omnem tribulationem esse aliquid *relativi*, quod ad animam meam usque non pertingat, si noluerim. Deinde lumine rationis constat nihil melius esse ad exercendas animæ facultates quam *luctari* cum aliqua difficultate. Tandem docet ratio hominem *perfici* per difficultates et ærumnas vitæ. Sic Plato, volens sibi effingere hominem omni sub respectu *perfectum*, supponebat hominem justum, sapientem, castum, generosum, omnibus benefacientem, qui pro beneficiis acciperet injurias, et qui injuste damnatus ignominiosa morte e vivis

discederet. Inscius scilicet delineabat Plato ipsum Christum Dominum!

3° Tribulatio considerata *oculo divino*, seu secundum hominem in quantum homo *christianus* est, apparebit ut res maximi pretii. Etenim, juxta fidem :

a) Est *donum Dei*. Nihil fit nisi volente vel permittente Deo; Deus autem non permittit, non vult nisi quod sciat *mihi* optimum esse. « Timenti Dominum non occurrent mala. » (Eccli., XXXIII, 1.)

b) Est optima ratio probandi nostrum amorem erga Deum. Circa hoc innumera inveniuntur in sacris litteris testimonia. Nonne dixit angelus Tobiæ (XII, 13) : « Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te? » Nonne clamat Ecclesiasticus (XXVII, 6): « Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis? » Nonne præclare id asseruit Judith (VIII, 23) : « Sic Isaac, sic Jacob, sic Moyses, et omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles? »

c) Est fons uberrimus meritorum. Tribulationes sunt veluti *aratra* quædam, quæ quo magis terram scindunt,

et huc atque illuc invertunt, aptiorem et fecundiorem reddunt. « Sunt, ait S. Augustinus, tribulationis *torculari* similes, in quo fructuosa est pressura : uva dum in torculari calcatur, injuria videtur fieri uvæ ; sed ista injuria sterilis non est. » Balthasar Alvarez tribulationes vocat *grandinem auream ; grandinem* vocat, quia mortificat ; *auream* vocat, quia animæ justæ est tribulatio id quod aurum est negotiatori.

d) Est signum prædestinationis. Etenim : « Quem diligit Dominus, castigat : flagellat autem omnem filium quem recipit. » (Hebr., XII, 6.) O Domine, quam admirabiles sunt viæ tuæ ! Per tenebras ducis electos tuos ad lucem, per infirmitatem ad valetudinem, per ignominiam ad gloriam, per mortem ad vitam !

III^um^ PUNCTUM. — **Quo animo ferendæ?**

Tribulationes debet ferre sacerdos *animo æquo.* Sed in hac æquanimitate triplicem gradum distinguere debemus.

I^us^ Gradus. Sacerdos, molesta et injucunda patiens, minime cadit animo,

non desistit a labore, non sinit se dilabi ad animi remissionem. Eadem ipsi est *fidelitas* ac antea, eadem *mentis applicatio*, eadem in operando *solertia*. Sentit utique pondus tribulationis, sed illo non conteritur. Ingemit hoc pondere pressus, sed ita ut non segnius quam antea velit plenissime facere voluntatem Dei. Identidem exclamat : « Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste, » sed statim addit : « Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. »

2us Gradus. Molesta et injucunda patiens, gratias de his agit Deo, non ignorans quam utilis sibi sit omnis tribulatio. Humiliatus dicit Deo suo : « Bonum mihi quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas. » (Ps. CXVIII, 71.)

3us Gradus. Sacerdos non solum mala sua tolerat *patienter* et *libenter*, sed etiam *jucundissime*. Fulget enim ante oculos ipsius splendidissimum exemplar patientiæ JESU CHRISTI, qui pro nobis prior tot ac tanta passus est mala cum ardentissimo amore. Quanta cum jucunditate dicit sacerdos tribulatione

laborans amantissimo suo magistro: *Propter te*, o mi JESU, illa fero quæ patior. O dulcis cogitatio quæ omnes meas mihi molestias jucundas facit! O certe, quia pro te patior, omnis labor mihi levis,... omnis amaritudo suavis,... omnis ærumna amœna,... omnis dolor dulcis,.. mors ipsa mihi in votis est.

CONSIDERATIO.

De domo sacerdotali (3°).

Considerandæ sunt etiam *personæ* quibuscum *commoratur* sacerdos.

Qui hac de re scripserunt auctores, una mente sequentia suadent:

1° Nimia familia ne se gravet sacerdos. Præter patrem et matrem, *consanguineos*, si otiosi remansuri sint, ne acceptet.

2° Caveat etiam, quantum potest, a recipiendis puellis custodia indigentibus, si in domo pastorali non sit qui eas sufficienter custodire possit.

3° Caveat ne *scandala* in propria domo sint. Si *sorores* et *neptes* adhuc *juvenes* secum retinere cogatur, vigilet ne amoribus inconsultis implicentur. Vigilet etiam ne istæ puellæ in aliquo periculo versentur propter adventantes ad presbyterium. Illas domi

solas aut in plena libertate nunquam relinquet, nec semper securus sit de iis a quibus nihil videatur esse timendum.

4° Si secum habet patrem vel matrem, omnia filialis pietatis obsequia erga eos exhibeat, nec obliviscatur quanta sacrificia sibi imposuerint ut sanctam suam vocationem filius sequi posset. Ne *durus*, ne *superbus* erga eos unquam appareat nec videatur eis exprobrare frustulum panis quo nutriuntur.

5° Ex altera tamen parte debet sacerdos integram conservare auctoritatem suam pastoralem.

Si quando velint *consanguinei*, apud parochum degentes, bona temporalia parœciæ administrare, atque impedire quominus expensæ pro ecclesia vel eleemosynæ fiant, minime se eorum, ne patris quidem aut matris, mancipium constituat. Propterea de rebus ad parœciam spectantibus eorum consilium ne exquirat. Ne permittat ut, veniente hoc vel illo parochiano, cur advenerit, curiosi inquirant, aut illius accessum ad parochum impediant vel difficilem reddant.

6° Quoad *ancillam*, sapienter aget sacerdos sequendo aureum illud statutum multarum diœcesium : « Ancillam habeat clericus non juniorem, non garrulam, immodestam, dominatricem. »

Ne permittat ut sumptuosius vestiatur,

ut dominium præ se ferat aut quamdam audaciam ostendat. Ne permittat ut quæ domi dicuntur aut peraguntur ipsa foras reportet.

Eam nec patiatur otiosam manere, nec tamen nimiis laboribus oneret.

Ne adeo fidem illi habeat ut illi aperiat molestias suas et res internas aut difficultates. Fiduciam utique ei ostendat, sed ita ut expensarum rationem exigat et opera per eam peracta inspiciat.

Victum convenientem ei præbeat, nec panem avare metiatur. Mutuam autem pecuniam ab ea ne accipiat. Singulis annis salarium usque ad assem ei persolvat, ut ambo liberi maneant, neque ancilla, mortuo hero, sua multorum annorum mercede ab hæredibus fraudetur.

Tandem nulla cum ea sit familiaritas.

Ergo cum *patre* et *matre* sit *veneratio* summa ;

cum *consanguineis vigilantia* et *firmitas ;*

cum *ancilla paterna gravitas* et *prudentia ;*

cum *omnibus auctoritas* et *sancta libertas ;*

ita ut *regimen* domus pastoralis sit *monarchia* absoluta, non consulatus.

EXAMEN.

Circa presbyterium.

I. An in domo mea sunt tria quæ requiruntur ad eam constituendam *paradisum ?* Scilicet :

1° An est mihi sufficiens cura *munditiei ?*

2° An sufficiens cura *ordinis ?*

3° An est apud me aurea *mediocritas ?* An supellex sumptuosa ?... superflua ?... exquisitior ?.. An sufficiens cura bibliothecæ ?

II. Quomodo soleo excipere *adventantes* ad me spiritualium rerum causa ?... An non *molestus sum* parochianis meis, qui diutius me vocatum debent exspectare ?

Quomodo excipiuntur ad januam pauperes et miseri ?

Quomodo excipiuntur fratres sacerdotes ?

Quomodo me habeo quoad feminas excipiendas in domum meam? An nullam do occasionem suspicionum ?

III. Quomodo gerere me soleo erga personas quibuscum vivo ?

Quomodo erga patrem et matrem ?

Quomodo erga sororem vel neptem ?

Quomodo erga ancillam ?

O Domine JESU, fac ut in posterum domus mea sit domus *pacis*, domus *felicitatis*, domus *sanctitatis*, ut erat olim domus tua

Nazarethana. Per Mariam et Joseph rogo te ut absint a domo mea quæ eam redderent *tibi* odiosam, *fratribus* molestam, *mihi* nocuam.

RECOLLECTIO VII.

MEDITATIO.

De lætitia cordis.

1. Præl. Audiamus Christum dicentem nobis : « Gaudete et exsultate. »

2. Præl. Petamus gratiam fruendi vera lætitia.

I^um^ PUNCTUM. — **Natura lætitiæ sacerdotis.**

A sanctis Patribus quintuplex distinguitur gaudium, scilicet dæmonis, carnis, mundi, hominis, Domini.

Gaudium est *dæmonis*, quando quis gaudet propter rem *malam*, v. g. propter persecutionem Ecclesiæ; gaudium *carnis*, quando propter rem *turpem*, ut solent gaudere voluptarii ; gaudium *mundi*, quando propter rem *vanam* ; gaudium *hominis*, quando propter rem bonam sed mere *humanam*, ut gaudere solet mathematicus propter solutionem problematis; gaudium *Domini*, quando propter rem *sanctam*, ut gaudet apostolus de conversione peccatoris.

Certum est gaudium *dæmonis*, *carnis*, *mundi* non solum non beare hominem,

sed potius hominem multiplici modo cruciare ; non hoc igitur gaudio gaudendum est sacerdoti. Gaudium *hominis* convenit quidem sacerdoti, sed si solum est, parvi momenti est et vix ab eo conquiri dignum. Ergo sacerdoti gaudendum est *gaudio Domini.*

Juxta doctrinam S. Thomæ, *gaudium causatur ex amore propter præsentiam boni amati.*

I. Sic loquendo pulcherrime insinuat Angelicus Doctor, ad verum gaudium Domini pertinere *statum gratiæ*, statum amoris; « causatur enim ex amore. » Inde sequitur miseros esse sacerdotes qui amittunt statum gratiæ peccando mortaliter. Propterea merito dixit S. Petrus Chrysologus non posse gaudere cum Christo, qui voluerit jocari cum dæmone. Fuga igitur peccati est prima conditio gaudii sacerdotalis.

II. Dixit S. Thomas gaudium causari ex amore, *propter* præsentiam boni amati. Bonum amatum sine dubio est ipse *Deus*. Altera igitur conditio gaudii est *Deum præsentem habere.* Deus utique præsens est ubique ; « in eo enim

vivimus, movemur et sumus. » Agitur autem de illa Dei præsentia, qua ex parte nostra Deo præsente fruimur. Variis porro modis possumus nobis sic Deum præsentem facere.

Primus modus est mente et corde Deum apprehendere, eliciendo frequenter vividos actus fidei, spei et caritatis; frequenter de Deo præsente cogitando; frequenter cum amore tabernaculum adeundo.

Secundus modus est unire *nostram voluntatem* voluntati divinæ, vel obediendo auctoritati legitimæ, vel conformando nostram voluntatem voluntati Dei per actum resignationis in rebus adversis.

Tertius modus est unire *nostram actionem* actioni Dei, obeundo fideliter munus nobis demandatum, functiones sacerdotii nostri rite adimplendo.

Quartus modus est unire *zelum nostrum* zelo Filii Dei, laborando strenue ad salutem animarum.

Quintus modus est unire *dolores nostros* doloribus JESU, ferendo *patienter*, *libenter*, *ardentissime* mala nostra, ut sua mala tulit JESUS.

Utinam his variis modis studeremus frui semper præsentia Boni amati, præsentia Dei! Profecto aperiremus nobis uberrimum fontem gaudiorum.

IIum PUNCTUM. — **Praxis lætitiæ sacerdotalis.**

Gaudium Domini innumera suppeditat sacerdoti *delectamenta*, quorum quædam vocamus *parva*, quædam *magna*.

A. Inter delectamenta *parva*, inveniuntur

1. Ea quorum objectum materiale est aliqua *visibilis creatura*, quæque apprehendimus ope *sensuum*.

Sic, o bone sacerdos, tu qui servis Deo in simplicitate cordis, qui sedulo vitas peccatum, et qui semper et in omnibus sinis te duci recta et pura intentione, nonne tibi delectamentum est aspicere cœlum stellis rutilans, hortum floribus splendentem, radios solis jucundissimos, tabellam perpulchre pictam?

Nonne tibi delectamentum est audire concentum musicorum, cantum avium, apta modulamina organi?

Nonne tibi delectamentum est, post magnos labores, vespere reponere membra fatigata in sedili commodo?

Nonne tibi delectamentum est inter labores sacerdotii identidem vires reficere cibo paulo lautius præparato, dummodo recta sit intentio et moderamen in usu?

2. Reponimus etiam inter delectamenta parva quibus fruitur bonus sacerdos, *successum* in labore. Nonne tibi est delectamentum, o sacerdos, si videas concionem tuam auditores commovisse ad lacrymas usque et ad meliora revocasse? Nonne tibi delectamentum est videre te ab ovibus tuis amatum, dilectum a confratribus, superioribus probatum?

B. Hæc, et similia multa, sane parva apparebunt, si comparentur cum sequentibus quæ merito nuncupamus delectamenta *magna.* Sunt autem:

1° *Testimonium bonæ conscientiæ.* O quam jucundum est aliquo modo sentire in se inhabitantem Spiritum sanctum et reddentem testimonium quod sumus filii Dei, Dei hæredes et cohæredes Christi!

2° *Pax animi.* « Pax, ait S. Augustinus, est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris. » Quis non videt plenissime versari in gaudio sacerdotem qui intelligat se hæc quatuor elementa pacis possidere?

3° *Adimpleta munia sacerdotalia* in spiritu fidei et amoris. O quantum est gaudium ascendere ad altare, ibique operari cum Deo stupendum miraculum transsubstantiationis! Quam jucundum sedere in tribunali pœnitentiæ ad claudendum peccatoribus infernum! Quantum delectamentum suo verbo erigere afflictos, mœstos consolari, moraliter mortuos ad vitam revocare!

4° *Sancta familiaritas cum Jesu* in tabernaculo commorante. Quam dulce atque suave est cum filiali simplicitate posse intimius colloqui cum illo qui inter amicos optimus est, sapientissimus, amantissimus!

5° *Amor singularis erga beatissimam Virginem Mariam.* Quantum erat gaudium S. Alphonsi de Ligorio, S. Francisci Salesii, S. Joannis Berchmans, dum admirabili cordis affectu

matrem suam prædicabant, invocabant, glorificabant !

6° Maximum delectamentum sacerdotale est *pro Deo* suo et pro salute animarum *laborare*, sudare, fatigari, vires infringere, immo se constituere *victimam* amoris erga Deum, amoris erga animas.

Unusquisque igitur sacerdos videat an in se sit illa lætitia cordis. Utinam conclusio totius meditationis sit, velle fortiter et constanter ita famulari Deo nostro, ut audire mereamur hæc jucundissima verba : « Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, *intra in gaudium Domini tui.* » (Matth., XXV, 21.)

CONSIDERATIO.

De domo sacerdotali (4°).

Jam considerandus est *ipse sacerdos* domi *orans*, *laborans*, *ægrotans*.

I. Sacerdos in sua oratione.

Oratio ejus sit vere sacerdotalis, i. e. *frequens*, *ardens* et *ordinata*.

Vespere, hora statuta, si nihil impediat, in suum cubiculum se recipiat, perlegat medi-

tationis puncta, et deinde, paucis sed electis formulis, lente et attente recitet preces vespertinas quas concludat conscientiæ examine vero et serio, cum actu sinceræ et perfectæ contritionis. Jamjam decumbens, per aliquot momenta in memoriam revocet puncta meditationis, commendet se JESU, Mariæ, Joseph et sic pie se tradat somno.

Mane, hora item statuta, surgat velociter et decenter; expedite se vestiat, ut statim recitare possit preces matutinas, quibus recitatis, instituat meditationem, nec unquam, sine vera necessitate, eam omittat, decurtet, differat.

Primo tempore libero recitet Officium divinum attente, devote, reverenter.

Reliquo tempore elevet frequenter mentem ad Deum, ad Mariam, Deique præsentis non raro recordetur. Incredibile est quam mirifice juvet bonum sacerdotem usus orationum jaculatoriarum.

II. Sacerdos in suo labore.

Quamdiu domi versatur, ne sit otiosus, et semper habeat in quo occupetur. In suo labore sequatur quatuor aurea principia quæ nos docuit S. Franciscus Salesius.

Primas primis. Quæcumque pertinent ad munus pastorale, ante omnia faciet. Parabit concionem, catechismi explicationem, respondebit litteris acceptis, res fabricæ ordinabit.

Quam plurima. Ut facere possit quam plurima, antequam incipiat laborare, *prævidebit* brevi examine quæ illa die facienda sint, eaque in chartula notabit ne excidant memoria. Magna ei cura erit *temporis liberi*, et saltem dimidiam horam tribuet studio ecclesiastico, legendo S. Scripturam, vel recolendo theologiæ principia.

Quam optime. Dedet se *totum* rei faciendæ, præmisso signo crucis ante præcipuas actiones.

Usque ad finem. Mature incipiet res peragendas, ita ut tempore statuto absolutæ sint. Proinde nihil aggrediatur quod non perficiat, strenue superatis quæcumque operi incepto obstare videbantur.

III. Sacerdos in sua infirmitate.

Statim ac sentiet se morbo laborare, morbum accipiet tamquam de manu Dei, eum considerans ut donum Dei, ut speciale instrumentum salutis et sanctificationis.

Subsidia humana non respuet, sed magis confidet Deo quam medico, magis humilibus precibus quam exquisitissimis medicamentis.

Anxium se non exhibebit neque morosum, non tristem aut dejectum, non impatientem. Hilari et tranquillo animo se totum committet divinæ Providentiæ, unice desiderans ut circa se voluntas Dei perfectissime adimpleatur.

Petet ab amico fidissimo ut libere ac mature moneat de periculo vitæ et de opportunitate accipiendi ultima sacramenta. Hæc ipse expetat sponte, tamquam maximam gratiam, maximum beneficium.

Intrepido animo se præparet ad mortem, omnia tempestive ordinando, ut jam nulla sibi sit sollicitudo de rebus terrestribus. Identidem offerat Deo sacrificium vitæ, suaviterque tandem reclinet caput super pectus JESU.

EXAMEN.

Circa prudentiam sacerdotalem.

I. Juxta doctrinam S. Thomæ, proprium *prudentiæ* munus est *bene consultare*, *bene judicare*, *exsecutionem præcipere*, idque cum sollicitudine et diligentia.

1° An soleo *bene consultare*, expendendo undique circumstantias, et inquirendo quæ media et circumstantiæ necessaria sint, ut quæcumque actio fiat secundum honestatem et virtutem ?

2° An soleo *bene judicare*, concludendo ex consultatione facta *quid* et *quomodo* agendum sit, ut actio honestatis et virtutis normæ respondeat ?

3° An soleo *imperare* et *urgere* exsecutionem, opere exsequendo quod agendum esse concluseram ? An non soleo differre rerum statutarum exsecutionem vel propter

ignaviam, vel propter naturalem timiditatem, tarditatem, cunctationem, vel propter animi levitatem ?

II. An non soleo peccare contra prudentiam *per defectum ?*

1° An non mihi est in more *vitiosa festinatio* qua, proposito fine, statim opus aggredior *omissa deliberatione ?*

2° An non mihi in more est *inconsiderantia*, qua facilius de re aliqua judico, non consideratis bene circumstantiis ?

3° An non mihi est in more *inconstantia* qua, sine ulla aut justa causa, muto sententiam ?

4° An non mihi est in more *negligentia*, qua, operando sine debita diligentia, non permitto ut intellectus actu suo excitet et dirigat voluntatem viresque externas ad operis exsecutionem ?

III. An non soleo peccare contra prudentiam *per excessum ?*

1° An non mihi est *prudentia carnis*, quæ continue excogitet media ad vivendum secundum carnem, et quærat omnem occasionem sibi commoda vitæ procurandi ?

2° An mihi est *astutia*, *dolus*, *fraus* seu ratio agendi et loquendi *politica ?* An non videor procedere, non quidem per viam rectam, apertam, sed per ambages et circuitus?

3° An non mihi est *sollicitudo* temporalium et futurorum talis, ut nimis sim intentus

rebus temporalibus sive conquirendis sive asservandis? An hæc sollicitudo nimia non provenit ex *avaritia* vel ex defectu fiduciæ in Deum? An hæc sollicitudo non tanta est ut me retrahat a divinis et spiritualibus?

IV. In specie, an ego prudens sum erga omnes? Requiritur prudentia

1° Ut vitetur *damnum temporale;* v. g. non conservando quædam scripta, quæ post mortem tricas parere possent aliis.

2° Ut vitetur *damnum spirituale*, quod nasci posset

a) ex colloquiis ;

b) ex visitationibus ;

c) ex familiaritate etiam cum piis ;

d) ex nimia confidentia.

3° Ut vitetur *scandalum*, cujus causa esse possem

a) liberius loquendo de confratribus et superioribus ;

b) levius agendo in rebus sanctis.

O Domine JESU, qui dixisti dilectis discipulis tuis : « Estote prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbæ, » da mihi veniam tot actuum quibus *imprudentem* me probavi, et fac ut deinceps, simplicitatem cordis cum prudentia actionis conjungendo, evadam « fidelis dispensator et prudens qui, constitutus super familiam tuam, filiis tuis dem in tempore tritici mensuram. » (Luc., XII, 42.)

RECOLLECTIO VIII.

MEDITATIO.

De vita sacerdotali viti comparata.

1. Præl. Nobis repræsentemus JESUM medium inter Apostolos suos, eos instruentem, et eum audiamus explicantem quæ pertinent ad *vitem* ejusque *palmites*. (Joan., XV.)

2. Præl. O Domine JESU, da nobis gratiam nos exhibendi tibi vitem bene custoditam et sedulo excultam, ferentem fructus uberrimos pro æternitate.

In vite considerari possunt quinque : *lignum*, *fructus*, *folia*, *operationes agricolæ*, et vitis *sors ultima*.

I^um^ PUNCTUM. — Lignum vitis.

Hoc lignum oculis hominum vile apparet, sine ullo splendore. Quid simplicius ligno vitis ? Ex tali tamen ligno oriuntur fructus admirabiles.

Sic vita boni sacerdotis *simplex* esse debet ; debet aliquo modo redolere *paupertatem* evangelicam. Sane non nisi a sacerdotibus regularibus requiritur paupertas *actualis ;* sed cum omnis

sacerdos sit alter Christus, necesse est ut etiam sacerdos sæcularis *spiritum paupertatis* habeat, cum Christus tantopere paupertatem dilexerit.

Quid autem est *habere spiritum paupertatis?* Est :

1° non *adhærere* nimio affectu divitiis, monente Sancto Spiritu: « Divitiæ si affluant, nolite cor apponere » (Ps. LXI, 11) ;

2° non *inhiare* divitiis, se nimis sollicitum ostendendo ;

3° ne minimum quidem signum dare *avaritiæ ;*

4° damna pecuniæ patienter sustinere ;

5° non videri unice pro pecunia laborare ;

6° *libenter* erogare aliquam partem bonorum pauperibus, scholis, operibus piis.

Sacerdos qui habet hunc spiritum paupertatis, quidquid evangelicæ paupertati repugnat diligenter amovet a supellectili,... a mensa,... a vestitu,... a bibliotheca,... a modo versandi in publico,... a modo instituendi iter.

Conabitur *ubique* et *semper* se exhibere *apostolum* Christi, *sacerdotem evangelicum*, non sacerdotem *mundanum*.

An apud me, o Domine, omnia spirant hanc simplicitatem, hanc paupertatem ? Nunquam jam obliviscar te dixisse in monte : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. » (Matth., v, 3.)

II^um^ PUNCTUM. — **Fructus vitis.**

Quis ignorat vitem producere *fructus* uberrimos, optimos, in sacra Scriptura laudatos ? Similes fructus requiruntur a vite sacerdotali, siquidem dixit JESUS : « Ego elegi vos et posui vos ut... fructum afferatis. » An ab ultima recollectione retuli fructus justitiæ, pietatis, sanctitatis ? An *major* jam castitas,... obedientia,... patientia,... caritas,... humilitas,... mansuetudo ?

An retuli fructus ex aliis pastorali meæ curæ commissis ? An pœnitentes, an discipuli opera mea meliores sunt ? An subditi mei fructum virtutum fecerunt, me instigante, me stimulante,

me dirigente ? An visi sunt progredi in via pietatis,meo exemplo,meis consiliis, meis orationibus ?

O Domine, nunc *incipiam* excolere vitem tuam *diligentissime*, ut deinceps in ea invenias fructus productos a me et a subditis meis. Utinam de hac vite, quam tanta sollicitudine plantasti, gaudere valeas coram angelis tuis.

III^um^ PUNCTUM. — **Folia vitis.**

In vite *folia* sunt, *pulcherrima* simul et *utilissima*. *Ornant* enim vitem et simul ejus *contegunt* fructus ut eos tueantur a nimio sole, a grandine, a vento.

In vita sacerdotali, *folia* sunt *modestia,... gravitas,... humilitas,... prudentia* quoad imaginationem, oculos, linguam, lectionem.

Hæc prudentia in aperto esse debet præsertim erga feminas, erga alumnos, erga ancillam, ne omnem laboris fructum amittamus nimia quadam *familiaritate* vel *sensualitate*. Ut autem nullam præbeat ansam suspicionibus, non manebit sacerdos solus cum sola,

janua clausa ; non protrahet inutile colloquium ; abstinebit ab omni tactu, ab omni amplexu qui non sit juxta morem regionis.

O Domine, concede ut non desint convenientia folia viti nostræ.

IV^um^ PUNCTUM. — **Operationes agricolæ.**

Agricola, amans vitis suæ, ejus palmites *dirigit, alligat; amputat* inutilia; utilia *purgat.*

Hæ operationes aliquando inutiles videntur, sed viti sunt summopere proficuæ.

Ego sacerdos grato animo accipiam operationes varias a divino meo agricola, qui non est alius quam ipse Pater æternus ! « Pater meus agricola est. » (Joan., XV, 1.) Sed solet Deus adhibere *operarios* quos sibi elegit, et hi operarii sunt mei superiores.

Si volumus ut parochiæ nostræ et nostra collegia floreant, sit *perfecta subordinatio.* Sinant se vicarii, sinant se magistri, sinant se quicumque subditi *duci* ab auctoritate legitima; sinant se dirigi in modo docendi, in modo agendi,

in modo puniendi pueros ; sinant se *ligari* tali parochiæ, tali collegio, tali muneri quod imponit superior ; libenti animo accipiant *amputationem*, si aliqua sacrificia exquirantur.

V^um^ PUNCTUM. — **Ultima sors vitis.**

Si vitis bona, bene exculta, fideliter custodita, fructus eximios produxerit, *ultima* ejus *sors* erit ut uvæ transeant in liquorem pretiosum. Sed ut uvæ transeant in talem liquorem, necesse est ut *premantur in torculari*. Videtur, dixit S. Augustinus, fieri injuria uvæ, sed injuria sterilis non est.

Applicatio plena consolationis est. Etenim, quando aliquis sacerdos bene laborat et sudat pro gloria Dei et pro salute animarum, quando se probavit vitem fructuosam, non raro accidit ut objiciatur tribulationibus multis. Teste eodem S. Doctore, omnis tribulatio *torcular* est Domini. Si igitur ille sacerdos, projectus in torculari, in eo conteritur, bonum signum est; signum est uvam esse approbatam atque acceptam ab agricola cœlesti, ut maneat in æternum.

O vos, dilectissimi sacerdotes, qui, licet boni, fideles, ferventes, *adversa* patimini, gaudete, gaudete vehementer. Dixit enim JESUS: « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. » (Matth., v, 5.) Possidete animas vestras in patientia. Veniens veniet Remunerator vester et non tardabit. Et tunc *merces*, et tunc *gaudium* erit quod nemo a vobis unquam auferre valebit. Amen.

CONSIDERATIO.

De æstimatione divini Officii.

Divinum officium *bene recitanti* onus est utique, sed onus leve, onus deliciis plenum, onus fructu fecundissimum.

Divinum officium *male recitanti* onus est grave, onus molestum, onus plenum tædio et fere omni carens fructu.

O utinam tantæ occupationis pretium ante oculos nostros semper obversaretur! Magnum sane affectum haberemus ad horas canonicas, et illas recitaremus sine ullo dubio *attente* et *devote*, ut vult concilium Tridentinum.

Adhibeamus igitur sanctos conatus ad acquirendam rationem recitandi horas quæ respondeat exspectationi Ecclesiæ et utilitati animarum nostrarum.

In hunc finem inquiramus quanti facere debeamus divinum officium.

Difficile non est intelligere divinum officium sibi vindicare venerationem maximam, æstimationem summam, si consideremus: 1° *nomina* quibus hoc officium insigniri solet; 2° *circumstantias* in quibus absolvitur.

I. *Nomina.* Vocatur:

1° Officium *divinum*, quia in honorem Dei recitatur.

2° Officium *ecclesiasticum*, quia recitatur non nomine sacerdotis recitantis, sed nomine ipsius Ecclesiæ.

3° Officium *canonicum*, quia non ex libitu sed juxta sanctas canonum regulas recitandum est.

4° *Breviarium*, quia est veluti quoddam *compendium* veteris et novi Testamenti, nec non sententiarum Patrum et vitæ Sanctorum.

Hinc jam videre est quanta sit *præstantia* illius operis. Est breviarium nostrum *thesaurus* noster: est enim *compendium totius religionis;* est *commercium* quoddam inter cœlum et terram; est *epistola* quædam, ut dicit S. Bernardus, qua sensa cordis Ecclesiæ ad Sponsum ejus Christum transmittimus; est *exercitium* omnium *virtutum*, quarum actibus refertæ sunt paginæ breviarii; est *sacrificium* quoddam: sacrificium *oris*, sacrificium *laudis*.

Addere debemus officium divinum esse præstantissimam inter orationes vocales, undecumque spectetur, sive ex parte *materiæ*, sive ex parte *formæ*, sive ex parte *finis* et *causæ efficientis* et *exemplaris*. Propterea sacerdos nunquam incipiat horas canonicas quin prius dicat Deo : « Domine, in unione illius divinæ intentionis, qua ipse in terris laudes Deo persolvisti, has tibi horas persolvo. »

II. *Circumstantiæ.*

Hæc æstimatio divini officii, nata ex consideratione ejusdem naturæ, non exiguum accipit robur ex consideratione quarumdam circumstantiarum.

1° QUIS *orat ?* Sacerdos,... *Vicarius* JESU CHRISTI,... *organum* Spiritus sancti,... Ecclesiæ *legatus*, cui commissum est tractare cum Sanctissima Trinitate, eo scilicet fine ut Deo agantur gratiæ pro triumphis sanctorum, ut ipsi exponantur gemitus animarum in purgatorio degentium, ut ipsi offerantur desideria et vota fidelium. Qualis legatio ! Quam venerabilis qui talem legationem quotidie obire conspicitur !

2° QUEM *orat ?* Non hominem, non regem, non angelum, sed ipsum Deum, Regem regum, Dominatorem dominantium, æternam Majestatem.

3° QUIBUSCUM *orat ?* Cum Ecclesia triumphante, cum Ecclesia militante, cum

Ecclesia patiente... Orat cum tot sanctis sacerdotibus, cum tot sanctis communitatibus religiosorum et monialium... Orat cum ipso Christo Domino, qui caput est Ecclesiæ et Deo Patri suam passionem offert pro corpore suo mystico... « Per ipsum, et cum ipso, et in ipso. »

4° UBI *orat?* In medio peccatorum ipse apostolus... ovis in medio luporum... alter Daniel in fossa leonum rugientium.

5° QUANDO *orat?* Eo tempore quo Deus noster, Pater noster offenditur, blasphematur, negatur... Eo momento quo multi colluctantur cum morte... quo multi exhalant ultimum suspirium... quo multi tentantur... quo multi infirmitatibus quassantur... quo multi in eo sunt ut in infernum detrudantur. O si melius, si ferventius persolverem officium, eriperem e manibus diaboli hanc et illam animam...

Sacerdos sum ; ergo « quis infirmatur et ego non infirmor? quis scandalizatur et ego non uror? »

Si male igitur recito breviarium, quot et quanta jura læduntur! læditur *fides*, læditur *æstimatio* quæ debetur verbo divino, læditur *majestas* Dei, læditur *character* sacerdotalis, læditur *amor* Ecclesiæ, læditur amor Christi, læditur amor animarum.

O quam triste est videre nonnullos sacerdotes qui, dum recitant divinum officium,

ita colloquuntur cum Deo sicut non auderemus colloqui cum viro rustico. Dum enim etiam minimum inter homines alloquimur, scimus saltem quid dicamus et ita illud dicimus ut intelligamur : illi autem alloquuntur Deum suum ita ut vix sciant quid elabatur ex ore suo ; præcipites sunt in dicendo, adeo ut syllabæ inter se misceantur vel verba truncentur, nec ullus mortalium hæc intelligeret, nisi forsan cum magna et extraordinaria attentione atque conatu.

O Domine, miserere mei et da gratiam ita deinceps persolvendi officium divinum, ut inde accipias tu gloriam magnam, ego autem et alii multi accipiamus magnam utilitatem atque consolationem.

EXAMEN.

Circa munia ecclesiastica.

Deo miserente et opitulante, per varios Ordines perveni ad apicem dignitatum, ad sacerdotium. Gratus pro tanta gratia volo, o mi JESU, inspicere me et obligationes quibus obnoxius sum *vi Ordinum*.

I. *Ostiarius* sum. Meum igitur est *portas ecclesiæ custodire* et decorem quietemque domus Dei curare. An per me stat ut porta ecclesiæ *tempestive* aperiatur, et non ita diu clausa maneat ut fidelibus difficilis sit aditus ad Regem suum commorantem in taber-

naculo? An per me stat ut sufficienter in templo servetur *silentium*, me præeunte exemplo? An per me stat ut *domus orationis* non mutata sit in domum *negotiationis*, in *dormitorium*, in *forum publicum*. in *prostibulum*, in *speluncam latronum*, ubi animæ dæmoniis in *ara scandali* immolentur?

II. *Lector* sum. Meum igitur est legere verbum Dei vernacula lingua, explicando Doctrinam christianam rudibus et pueris. An id præsto hora statuta, patienter et cum zelo?

III. *Exorcista* sum. Meum igitur est *dæmones* ex *corporibus* obsessorum expellere. An non patior dæmones dominari *animis* meorum et meo? Quæ est diligentia, vigilantia, fortitudo mea ad abigendum *spiritum immundum* a parochia mea? An iste, qui non ejicitur nisi *in oratione et jejunio*, non habitat in domo mea?

IV. *Acolythus* sum. Meum igitur est studiose curare *supellectilem* ac *vasa* sacrificio destinata. An ea curo? An non mihi major est sollicitudo circa supellectilem *domus meæ* quam circa instrumenta *altaris?* An sufficienter urgeo ædituum et alios officiales ad munditiem et ad ordinem?

V. *Subdiaconus* sum. Meum igitur est servare *votum castitatis* et *rite recitare breviarium*. An sufficienter avello animum a *negotiis sæcularibus*, a *commodis vitæ*, a nimia

cura corporis, a *confabulatione otiosa*, a *cachinnis* et *lusibus*, a lectione *periculosa?* An recitationi officii divini tribuo primum locum æstimationis et diligentiæ? An assuevi breviarium recitare *tempestive*, *attente*, *devote?*

VI. *Diaconus* sum. Meum igitur est prædicare Evangelium. Qualis est mea prædicatio? An solida, an apostolica, an fructuosa? An prædico JESUM? An prædico verbum Dei, non meum? An tempore opportuno præparo concionem?

VII. *Presbyter* sum. Meum igitur est conficere et administrare sacramenta. An mihi summa est cura ut nunquam administrem sacramenta in statu peccati mortalis? An in celebrando missam fideliter servo ritus et cæremonias? An celebro cum dignitate modesta et ad ædificationem adstantium? An *promptus* sum ad audiendas confessiones? An in eis audiendis *patiens* sum ut *medicus*, *pater*, *salvator?* An erga nullum unquam peccatorem me præbui *durum* aut nimis *severum?* An moribundis provideo solerter et celeriter?

Intellexi, o mi JESU, quam multas ac graves susceperim obligationes suscipiendo Ordines. Sed qui vocasti, perficies vocatum, eique tantam vocationis gratiam infundes, ut valeat exspectationi tuæ plenissime respondere, dummodo non desint ei humilitas et fiducia.

RECOLLECTIO IX.

MEDITATIO.

De fortitudine.

1. Præl. Audiamus Christum nobis dicentem : « Noli timere. »

2. Præl. Petamus a Duce nostro, qui mundum vicit, ut nobis communicet suam fortitudinem.

I^um^ PUNCTUM. — **Fortitudinis natura et necessitas.**

Quid est *fortitudo animi?* Respondet S. Thomas : « Est virtus tollens impedimenta quæ repellunt voluntatem ab eo quod est secundum rationem, propter difficile. »

Nempe non raro invenit homo difficultatem ad faciendum id quod tamen bonum est et rationi conforme. Hæc autem difficultas esse potest vel ex ipsa operis natura, vel ex illis qui se operi contrarios exhibent illudque impedire conantur. Quod si propter difficultatem, undecumque venerit, homo deserit opus inceptum, dicitur carere fortitudine et *ignavus* habetur ; si vero, non

obstante difficultate, pergit in operando, *fortis* dicendus est.

Nos sacerdotes sine dubio habemus voluntatem animas nobis divinitus commissas salvandi, eas omni virtute excolendi easque tandem ad cœlum deducendi. Habemus voluntatem retinendi ac promovendi fidem in patria nostra, Ecclesiæque Matris jura et auctoritatem defendendi. Sed ecce, ab hac voluntate vere sacerdotali et sancta nos repellere tentant adversarii potentes, numero validi et pleni audacia. Propterea premunt nos vexationibus variis; imponunt humeris nostris onera in dies crescentia. Ex altera parte non cessant nobis struere insidias, ut animæ, animæ præsertim parvulorum, zelo nostro, industriæ nostræ, nostris curis subtrahantur, atque eas ita facilius perducant ad perditionem æternam. Hinc nobis necessitas ineundi adversus eos luctam formidolosam et gravem nimis. Quis non videt sacerdotibus nostrorum temporum pernecessariam esse animi fortitudinem ?

II^um PUNCTUM. — Fortitudo in aggrediendo.

Docet idem S. Thomas duplicem fortitudinis esse actum, scilicet *aggredi* et *sustinere*.

Fortes esse debemus adversarios *aggrediendo;* fortes esse debemus damna inde provenientia *sustinendo*.

Qua ratione aggredi potest sacerdos adversarios suos ?

1° Illis opponendo eas animi dispositiones quibus in omni certamine hostis solet superari, *ardorem, constantiam, fidelitatem*. Debet opponere illis *animum ardentem*, quia quo major fuerit ardor, eo vividior erit actio. — Debet illis opponere *animum constantem*, quia plerumque non primus impetus tribuit victoriam, sed ultimus. — Debet illis opponere *animum fidelem*, fidelem erga Deum, fidelem erga Superiores; requiritur enim in bello tanta militis fidelitas, ut is paratus sit mori potius quam deserere stationem quam defendendam suscepit.

2° Strenue faciendo opus a quo vellent eum adversarii repellere.

a) Vellent sacerdotem repellere a docenda veritate catholica; ergo sedulo incumbat sacerdos christianæ doctrinæ omnes edocendæ, catechizando, concionando, instruendo gregem suum omni occasione et summa cum diligentia. Hac in re nulla unquam admitti potest negligentia.

b) Vellent sacerdotem repellere ab imbuendo populum moribus evangelicis; propterea multiplicant, quantum possunt, recreationes mundanas et quæcumque ad sensualitatem impellunt. Ergo strenue adlaborabo ut populus imbuatur moribus evangelicis, frequenti receptione Sacramentorum, assidua præsentia in templis nostris, dum Sacra peraguntur. Propterea curabo quam maxime ut omnia quæ pertinent ad cultum divinum fiant *accuratissime* et *tempore statuto*. In omnibus splendeat *ordo*, splendeat *mundities*.

c) Vellent præsertim repellere sacerdotem ab educandis parvulis, quia, omnium sæculorum experientia docti, optime intellexerunt ab hac educatione pendere statum patriæ et totius socie-

tatis humanæ. Ergo, quotquot sumus, omnes intendamus nervos, omnem adhibeamus diligentiam, ut opus tam heroice inceptum ad perfectionem usque perducatur. Efficere proin debet sacerdos ut scholæ christianæ in parœcia sua erectæ floreant ; eas frequenter adire ne fastidiat, eosque qui in illis occupantur omni modo sustinere et animare ne omittat.

3° Tandem adversarios directe oppugnando iis armis quibus uti jussit Deus aliquando milites Gedeonis, quæque vere sacerdotalia sunt. Dedit tubas in manibus eorum, lagenasque vacuas, ac lampades in medio lagenarum. (Judic., VII, 16.)

Quod quidem S. Gregorius Magnus sic explicat: « Milites cecinerunt tubis, ut lagenæ frangerentur; lagenæ fractæ sunt, ut lampades apparerent; apparuerunt lampades, ut hostes in fugam verterentur. » Idque applicans martyribus, pergit S. Doctor: « Prædicaverunt martyres donec eorum corpora in morte solverentur : eorum corpora in morte soluta sunt, ut miraculis coruscarent ;

coruscaverunt miraculis, ut hostes suos divina luce prosternerent. »

Vestigia tanti Doctoris sequentes, dicere possumus, nobis *tubam istam* esse verbi divini prædicationem intrepidam ; *lagenas vacuas* et deinde *fractas* esse generosam sacerdotis mortificationem ; *lampades ardentes* esse opera nostra bona, dicente Domino : « Sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. »

Oportet igitur sacerdos aggrediatur hostes audacter, et *scientia* sancta, et constanti *mortificatione* et *splendore* vitæ etiam irreprehensibilis.

III^um^ PUNCTUM. — **Fortitudo in sustinendo.**

Non tantum aggredi debet hostes sacerdos, sed et *sustinere* damna ex ipsis provenientia.

Sacrificia magna et multa a bono sacerdote nostris temporibus exiguntur. Fortis est qui ea acceptat non murmurando, non tristando, non propter hæc mala remissius Deo serviendo, sed

libenter agnoscendo necessitatem et utilitatem talium sacrificiorum, eaque prompte et serena fronte præstando ad morem Apostolorum qui « ibant *gaudentes* a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. »

Utinam omnis sacerdos, in his malis temporibus, tantam in se experiatur fortitudinem ! Transibit tribulatio, manebit in æternum remuneratio.

Audiamus Dominum dicentem fideli suo sacerdoti : « Ecce ego dedi te hodie in civitatem munitam et in columnam ferream, et in murum æreum. Et bellabunt adversum te, et non prævalebunt, quia ego tecum sum. » (Jerem., I, 18, 19.)

Et respondeat sacerdos : « Domine, fortitudo mea, et robur meum, et refugium meum in die tribulationis. (Jerem., XVI, 19.) Fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. » (Exod., XV, 2.)

CONSIDERATIO.

De prudentia.

« Acquire prudentiam, dicit Spiritus sanctus, arripe illam et exaltabit te. » (Prov., IV, 7, 8.)

Et Dominus Jesus! « Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum ; estote ergo *prudentes* sicut serpentes. » (Matth., X, 16.)

Audis, o sacerdos, prudentia tibi necessaria est, quia versaris in medio luporum. Magna et multa sunt tibi pericula.

1° Periculum est ne, cum totus sis immersus tot rebus agendis, sive ad dirigendam parœciam, sive ad creandas scholas, sive ad provocandas bonas electiones, sive ad salvandam fabricam ecclesiæ, sive ad promovenda nova opera ad quæ impellit acerbitas temporum, periculum est ne minus sollicitus sis de salute tua, de tua sanctificatione.

2° Periculum est ne flamma fidei minuatur defectu olei. Ecce virgines dicuntur fatuæ, quia non curaverunt ne lampades suæ exstinguerentur. *Oleum* voco lampadi tuæ infundendum studium rerum sacrarum et exercitia spiritualia quotidiana; quæ si omittantur, vel decurtentur, flamma hæc fidei tuæ paulatim minuetur : unde necessario anima tua detrimentum patietur.

3° Periculum est ne damnum spirituale emergat ex *colloquiis* frequentioribus cum

personis alterius sexus quarum concursu non raro indiget sacerdos ad opera sua bona; ex *visitationibus* quas ad ipsas instituere necesse est; ex *familiaritate*, ex nimia *confidentia*, quæ facile subrepet, nisi caveamus.

4° Periculum est ne ex timore difficultatum, et ex metu adversariorum, et propter obloquentium calumnias, deflectat paulatim sacerdos a prima sua firmitate, et notam incurrat inconstantiæ in bene cœptis.

5° Sed summum periculum est ne propter multiplicitatem occupationum et sollicitudinum sinamus nos dilabi ad tristissimam acediam et tepiditatem in rebus sanctis.

Nullus sacerdos potest legere absque tremore quod narrat S. Theodorus de misero quodam confessore fidei, nomine Euprepiano. Euprepianus iste per multos annos admirabilem se ostenderat sua virtute, sua pietate, sua liberalitate in famulatu Dei. Bis propter fidei defensionem in carcerem conjectus fuerat; bis publicam flagellationem passus animo invicto. Omnes eum sanctum proclamabant. Ipse paulatim remissior factus est; languere cœpit in famulatu Dei; et ecce hæc columna decidit turpiter, et impœnitens mortem obiit tristissimam. Caveamus a tepiditate.

Sacerdos prudens sit sicut *serpens*. Serpens dicitur prudens quia, si evadere alioqui non

possit, saltem caput a vulnere intactum servare conatur, reliquum vero corpus plagis expositum relinquit.

Caput nostrum salvemus ad exemplum serpentis. Caput nostrum est *fides* nostra ; caput nostrum est *fervor* noster; caput nostrum est *fidelitas* nostra ; caput nostrum est nostra *apostolica fiducia*. Timeamus cum S. Paulo ne forte, cum aliis prædicaverimus, ipsi reprobi efficiamur.

EXAMEN.

Circa gaudium sacerdotale.

1° An mihi applicare soleo verba S Pauli dicentis : « Gaudete in Domino semper ? »

2° An non potius præ me fero tristitiam ?

3° Quid impedit quominus gaudeam semper ?

An forsan quædam conscientiæ molestia?

An forsan animi dejectio ?

An inquietudo circa præterita peccata ?

An sollicitudo de futuris contingentibus?

An invidiæ livor ?

An injuriæ memoria ?

An latens quædam inimicitia ?

An nimia in servitio Dei pigritia atque socordia ?

4° E quibus fontibus videor plerumque haurire gaudium meum ? An ex fontibus Salvatoris ? Nonne forsan ex fontibus vene-

natis hujus sæculi et ex « cisternis dissipatis? »

An non ex delectamentis mundanis?
An non ex carnis concupiscentiis?
An non ex splendore dignitatum?
An non ex hominum existimatione?
An non ex cibo et potu exquisitiore?
An non ex commodis vitæ?
An non ex frequentiore visitatione laicorum?

5° An in exquisitione *veri* et *solidi gaudii* præ oculis habui verba S. Thomæ Aquinatis: « Gaudium ex amore causatur propter præsentiam boni amati? » Bonum amatum est ipse Deus. Utinam igitur assuescam mihi Deum præsentem facere, ut inde vere gaudere valeam! Atqui Deum mihi præsentem facere possum

a) eliciendo frequenter actum fidei, spei, caritatis;

b) cogitando actualiter de Dei præsentia;

c) accommodando per omnia meam voluntatem voluntati divinæ;

d) frequenter et familiariter invisendo Filium Dei in tabernaculo commorantem.

O mi JESU, doleo vehementer quod toties quæsivi gaudium ubi inveniri non potest; et quod neglexi fontes verorum gaudiorum quos tu tam misericorditer nobis aperuisti. Fac ut deinceps vere et unice gaudeam in te, qui fons es gaudiorum æternorum.

RECOLLECTIO X.

MEDITATIO.

De Resurrectione JESU.

1. Præl. Nobis vivide repræsentemus JESUM procedentem e sepulcro.

2. Præl. Petamus gratiam intense lætandi de *gloria* et *gaudio* Domini nostri J.-C.

Ut hæc meditatio practica sit, duo inquiramus :

1^um^ Quænam fuerit JESU *via* ad resurrectionis gloriam ;

2^um^ Quomodo JESUS resurrexerit.

I^um^ PUNCTUM. — Via ad resurrectionem.

Potuisset JESUS a primo momento, quo apparuit in mundo, ducere vitam quam duxit post suam resurrectionem. Potuisset ab initio induere agilitatem, subtilitatem, claritatem, immortalitatem. Id noluit... impulsus ingenti suo erga nos amore; voluit nobis assimilari in omnibus, absque peccato. « Non habemus, ait D. Paulus, pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris ; tentatum autem per omnia pro similitu-

dine absque peccato. » (Hebr., IV, 15.) Per seipsum sternere voluit nobis viam ad patriam, viam ad gloriam, viam ad immortalitatem. Hæc via a stabulo incipit, terminatur in sepulcro... Non negavit JESUS hanc viam esse *angustam*, asperam atque injucundam sensibus nostris; sed simul significavit hanc viam solam ducere ad vitam, cum via *lata* necessario ducat homines ad interitum.

Ergo velimus nolimus, nobis eundum est per eam viam per quam ivit Dux noster, per viam scilicet *abnegationis*, per viam *crucis*. Et re quidem vera, quid aliud fuit vita JESU quam plena, continua, absoluta omnium rerum abnegatio ? Nonne, ut optime ait auctor *Imitationis Christi*, vita JESU crux fuit atque martyrium ? ... *Tradidit* se, *exinanivit* se propter nos, factus obediens usque ad mortem crucis.

Sciebat JESUS homines solere deduci a recta via, quia patiuntur cor suum adhærescere rebus caducis. Profecto adhæret homo *divitiis... corporis delectamentis,... aliorum existimationi atque famæ,... consolationibus* et *animi moti-*

bus jucundis. Uno verbo, adhæret homo *creaturæ*, et ita adhæret creaturæ ut non raro ipsum *Creatorem* det oblivioni.

Propterea benignissimus Salvator proprio suo nobis exemplo ostendere voluit qua ratione homo se substrahere possit ac debeat dominatui et vi creaturarum.

Propter exemplum, ita caruit JESUS *divitiis* et *vitæ commodis*, ut non haberet ubi reclinaret caput.

Propter exemplum, *corporis cruciatibus* se tradidit, fame et siti laboravit, et in fine vitæ in lectulo durissimo, nempe in cruce, exspirare non dubitavit.

Propter exemplum, obnoxius fuit *calumniis, variis injuriis* lacessitus, vere saturatus *opprobriis*, et sic vitam finivit ut haberetur, sicut prædixerat David, tamquam *vermis* et *non homo*, tamquam *abjectio plebis*.

Propter exemplum, pati non dubitavit ut cor suum impleretur *mœrore, tædio, tristitia;* immo tantam sustinuit desolationem ut, jamjam exspiraturus, putaretur a Patre suo derelictus.

Vere, o mi Jesu, prior dilexisti me, et tradidisti temetipsum pro me! Exemplum dedisti mihi, ut quemadmodum tu fecisti ita et ego facerem. Ergo mihi eundum est ad veram vitam per divitiarum et commodorum contemptum;... per tolerantiam dolorum et infirmitatum;... per generosam acceptionem injuriarum atque opprobriorum;... per privationem consolationum etiam spiritualium.

O quam bene nunc intelligo quod scripsit servus tuus Ignatius, scilicet eos qui volunt esse *insignes* in sequela sui Regis æterni, debere non solum se totos offerre ad laborem, sed etiam, *agendo contra* propriam suam sensualitatem, contra amorem suum carnalem et mundanum, oblationes facere majoris momenti, dicentes: « O æterne Domine rerum omnium, ego facio meam oblationem cum tuo favore et auxilio, coram infinita Bonitate tua, et in conspectu gloriosæ Matris tuæ et omnium Sanctorum et Sanctarum curiæ cœlestis, attestans quod ego volo et desidero, et mea hæc est determinatio deliberata,... imitari

te in ferendis omnibus injuriis, et omni paupertate, si Majestas tua sanctissima voluerit me eligere ac accipere ad talem vitam et statum. »

IIum Punctum. — **Resurrectio Jesu.**

1° *Anima Jesu*, soluta a corpore, quam *libera* est, quam *beata!* Quam *libenter recordatur* eorum omnium quæ tam fortiter et amanter passa est pro gloria Patris et pro salute fratrum suorum!

Sic aliquando nobis erit. Particeps erit anima nostra *libertatis, beatitudinis, gaudii* Jesu, si particeps fuerit dolorum et molestiarum.

Statim post mortem, delabitur anima Jesu ad limbum, ut animas Justorum, quarum exspectatio mirifice creverat, post adventum animarum quæ viderant Jesum in terris, consoletur consolatione ineffabili. Illis ergo transierunt omnia, labores, ærumnæ, oblivio hominum, exsilium in limbo, et *liberantur* in æternum. Audiamus voces exsultantium animarum et dicentium : « Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et

fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem. » (Apoc., v, 12.)

Quam *prompte*, quam *plene* consolatur Jesus amicos suos !

Gaudeamus cum Justis istis de gloria Jesu.

2° *Corpus Jesu*, rigidum mortuumque, rursus subit anima, redux e limbo tertia die, eique insolubili vinculo unitur et suæ gloriæ atque suæ felicitatis facit particeps in æternum.

Quanta mutatio! Pro ignominia accipit *gloriam*,... pro doloribus *gaudia*,... pro infirmitate *potentiam*. Ergo transierunt egestas, fatigatio, jejunium, labor, sputa, flagella, spinæ!

Talis erit corporis nostri immutatio, si ad gloriam resurgamus. Nunc igitur libenter mortificemus corpus voluntaria et generosa *sensuum* refrenatione, ut accipiat aliquando splendidiorem glorificationem. Sane valebit hæc sententia: Quantus dolor, tantus honor.

3° Christus *redivivus* toto corde se offert Patri suo pro nobis, nam « resurrexit propter justificationem nostram.» (Rom., iv, 25.)

Discamus et nos *prospera* æque ac *adversa* ad gloriam Dei et ad salutem proximi referre. In lætis et in tristibus rebus ex ore nostro elabatur hoc amoris testimonium: *Propter te, o Domine ; tibi soli honor et gloria in sæcula sæculorum.*

4° Jubente Patre, Christus redivivus certatim adoratur ab angelis e cœlo obviam properantibus, a patribus e limbo ereptis, a sanctis tunc ab ipso a morte suscitatis.

Adjungamus nos triplici huic turbæ gloriosæ ad gratulandum Regi nostro amantissimo, qui tam mirabiliter triumphavit de morte, ejusque triumphum ornemus, nosmetipsos ipsi offerendo ad laborandum, ad patiendum, immo et ad moriendum pro gloria ejus, ut qui participes facti fuerimus laboris et passionis, participes fiamus felicitatis et gloriæ. Amen.

CONSIDERATIO.

De pace.

I. Post gratiam Dei, maximum hominis bonum est *possessio pacis.*

Tantum bonum est ut Propheta nos exhortetur ad eam nobis procurandam omni

conatu : « Inquire pacem et persequere eam. » (Ps. XXXIII, 15.)

Tantum bonum est ut angeli, annuntiantes mundo fructum Nativitatis JESU, de cœlo cecinerint : « Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. »

Tantum bonum est ut JESUS, cum mitteret suos discipulos ad præludendum prædicationi, eis dixerit : « In quamcumque domum intraveritis, primum dicite : Pax huic domui. » (Luc, X, 5.)

Tantum bonum est ut ipse Dominus, post resurrectionem suam, hoc *primum* verbum dixerit apostolis : « Pax vobis. » (Luc., XXIV, 36)

Tantum bonum est ut Ecclesia, fidelissima interpres Sponsi sui, jusserit sacerdotes in missæ sacrificio frequenter mentionem facere pacis, præsertim post consecrationem, dum signantes signo crucis calicem cum particula consecrata dicunt : « Pax Domini sit semper vobiscum. »

« Tantum est pacis bonum, ut etiam in rebus terrenis atque mortalibus nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremo possit melius inveniri. » (S. Aug., *De Civit. Dei*, XIX, c. 11.)

II. « Pax, ait idem S. Augustinus, est *serenitas* mentis *tranquillitas* animi, *simplicitas* cordis, *vinculum* amoris, *consortium* caritatis. »

1° *Serenitas mentis.*

Mens nostra est veluti cœlum quoddam quod potest splendescere *serenitate* vel *nubibus* nigrescere. *Nubes* sunt malæ cogitationes,... judicia temeraria,... suspiciones injustæ,... malignæ interpretationes... Hæc non raro, si concurrunt in eadem mente, producunt procellas et tempestates, maximamque animi turbationem. — Caveamus igitur ab omni mentis operatione non recta, et propterea ne prætermittantur in examine conscientiæ cogitationes, judicia, suspiciones, interpretationes.

2° *Tranquillitas animi.*

Solet nos *turbare* diabolus vel propter *præterita*, vel propter *præsentia*, vel propter *futura*.

a) Turbat nos propter *præterita*, injiciendo nobis timorem de peccatis anteactæ vitæ et de modo quo ea in confessione declaravimus. — Stemus firmiter sententiæ confessarii, per obedientiam constantem et perfectam : « Vir enim obediens loquetur victoriam. » (Prov., XXI, 28.)

b) Turbat nos propter *præsentia*, efficiendo ut non faciamus quod faciendum sit, vel id faciamus ægre et negligenter. — Sequamur prudens consilium : « Age quod agis, » et ad singula quæ agenda vel patienda occurrunt, assuescamus dicere cum JESU : « Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. » (Matth., XI, 26.)

c) Turbat nos propter *futura*, reddendo nos sollicitos de iis quæ forsan nunquam locum habebunt, ut sic nos impediat quin toti simus in re præsenti. — Laboremus quam plurimum ut inveniat nos divina Providentia aptos ad quodcumque munus, et interea simus contenti de munere in quo Deus nos hic et nunc esse voluit.

3° *Simplicitas cordis.*

Possumus definire simplicitatem *spiritum fidei in actu.* Etenim, qui ducitur spiritu fidei per omnia, necessario simplex erit, i. e. sincerus, rectus, in omnibus suis relationibus erga Deum, erga superiores, erga æquales, erga subditos; et sedulo vitabit quidquid huic sinceritati contrarium est. Caveamus igitur ab omni simulatione, et facile cum omnibus pacem habebimus.

4° *Vinculum amoris.*

Qui non *amat*, pace frui non poterit. Non tamen omnis amor est elementum pacis. Solus amor *christianus* pacem gignit, nutrit et custodit. Qui igitur desiderat pacem, nullum excludat ex amore suo, sed omnes diligat propter JESUM, qui dixit etiam inimicos esse diligendos. — Videamus an non turbata sit anima nostra, quia in ea aliquis latet *rancor*, aliqua nimia *injuriæ recordatio.*

5° *Consortium caritatis.*

« Ecce quam *bonum*, et quam *jucundum* habitare *fratres in unum.* » (Ps. CXXXII, 1.)

Quid est habitare *in unum*, nisi quod omnes qui commorantur sub eodem tecto, sese diligunt *mente*,... *corde*,... *ore*... et *opere*, ita ut gestiant se mutuo juvare, stimulare, consolari, consiliis opitulari? Quid melius? Quid jucundius?

O Domine, dona nobis pacem!

EXAMEN.

Circa resurrectionem spiritualem.

Resurrectio spiritualis est quæcumque vitæ reformatio, quæ quidem esse potest vel *quotidiana*, ope examinis conscientiæ, vel *menstrua*, ope recollectionis specialis, vel *annua*, ope sacri secessus. Omnis autem nostra spiritualis resurrectio *imago* esse debet resurrectionis Christi.

I. Christus *resurrexit.*

1° *Vere*, et proinde non *apparuit* tantum, ut Samuel. — An ego *vere*, et non tantum specietenus, reformatus invenior, post singula exercitia examinis, recollectionis menstruæ, annui secessus? An operibus et verbis *probo* me vere immutatum esse?

2° *Perfecte*, non *sedens*, ut filius viduæ, non *ligatus* pedes et manus, sudario tectus ut Lazarus; sed ambulans in plenitudine libertatis. — An ego non soleo me reformare ex *parte* tantum et non *omnino*, *parce*, non generose? An forsan corrigo tantum ea quæ

parum habent difficultatis, non vero quæ *multum?*

3° *Constanter* et non ad tempus, ut alii a morte suscitati, postea iterum morituri. — An *constans* sum in exsequendis propositis?

O si magis serio discuterem conscientiam quotidie; si singulis mensibus melius me examinarem, expetendo a me *an paratus sim;* si singulis annis *totus* essem in exercitiis secessus, efficacius admoverem manum ad exstirpandum in me regnum peccati. Et si quotidie applicarem virilem voluntatem ad superandum defectum dominantem, brevi gauderem libertate filiorum Dei. Quod si mihi non deesset constantia in bene cœptis, jam a multo tempore essem *sanctus*. O Domine, da *lumen* ad cognoscendum, da *robur* ad agendum.

II. Christus *apparuit manifeste*, præbens seipsum *vivum* in multis argumentis, loquens de regno Dei, in cœnaculo, in via, in littore, in monte. — An sic probo me resurrexisse?

1° An vita mea nova imitatur dotes corporis gloriosi JESU?

a) An mihi est *impassibilitas*, per continuum exercitium patientissimæ humilitatis?

b) An mihi *subtilitas*, per voluntatem virilem, quæ, utendo constanter *examine particulari*, perrumpit omnia perfectionis impedimenta?

c) An mihi *agilitas*, per obedientiam promptam, generosam, hilarem, erga omnes Superiores meos, in eis aspiciendo Christum, non hominem obnoxium multis miseriis?

d) An mihi *claritas*, per rectum usum exercitiorum spiritualium, et præsertim per meditationem et lectionem vitæ Sanctorum?

2° An ipse meus modus loquendi probat me spiritualiter resurrexisse?

a) An libenter instituo sermonem de rebus piis?

b) An non detineor a colloquio spirituali respectu humano?

c) An *ubique* in mensa, in via, in domibus laicorum, in scholis, in cœtu sacerdotum, sermo meus dignus est sacerdote?

d) An ita soleo conversari inter homines ut omnes, qui me audiant, impellantur ad meliora?

O Domine, da mihi ita degere in hoc mundo, ut eis quibuscum conversari continget, luculenter appareat me non jam *quærere* aut *sapere* quæ de terra sunt, sed quæ de cœlo, et meam conversationem vere esse in cœlis.

RECOLLECTIO XI.

MEDITATIO.

De Ascensione D. N. J. C.

1. Præl. Repræsentemus nobis Christum Dominum, aspicientibus discipulis, ascendentem in cœlum cum summa majestate.

2. Præl. Petamus gratiam concipiendi ingentem *fiduciam*, videndo quo tandem adduxerint JESUM labores, dolores et opprobria quæ tanto sustinuit animo.

In hoc jucundissimo mysterio multa sunt adjuncta quorum consideratio multiplicem utilitatem afferre poterit sacerdoti. Consideremus :

1° *Præmissa ascensioni*,
2° *Comitantia ascensionem*,
3° *Sequentia ascensionem*.

I^um^ PUNCTUM. — Præmissa ascensioni.

Christus Dominus, postquam apparuerat per spatium quadraginta dierum, in multis argumentis, loquens de regno Dei, mandavit suis discipulis ut in Jerusalem exspectarent Spiritum sanctum. (Cf. Act. Apost., c. 1.)

Videamus *personas*, audiamus *verba*, consideremus *opera*.

A. *Personæ*.

1° Video discipulos cum Domino convescentes, familiariter cum ipso agentes, et ex ipsius consortio, suavissimo sane, haurientes ineffabiles consolationes. Quam *beati !* Quam *securi !*

O Domine, quot et quantas tibi debeo gratias quod me vocare dignatus es ad talem vitæ statum, in quo et ipse, sicut apostoli tui, possum tecum agere familiariter, tecum convesci *quotidie*, et in tuo sancto consortio invenire *pacem* et *consolationem*, quæ incomparabiliter superant omnes consolationes hujus mundi.

2° Discipuli ab optimo Magistro diligenter instructi sunt de vita spirituali, sed sentiunt se debiles valde ; intelligunt se nondum satis instructos esse donis Spiritus sancti ; quapropter disponunt se,jubente Jesu,ad recipiendum Spiritum sanctum. Firmum propositum concipiunt sedendi in Jerusalem, in civitate sancta,... et ibi orandi... unanimiter... cum Maria, Matre Jesu. —

Utinam, singulis mensibus, me sic disponam ad percipienda dona Spiritus sancti ope recollectionis menstruæ, eam *ferventer* et *constanter* instituendo!

B. *Verba.*

Loquitur Jesus de *regno Dei;* loquitur ergo de iis omnibus quæ pertinent ad regnum Dei; loquitur de *salute æterna*, de *impedimentis;* suggerit *media*, ostendit *viam;* erigit animos, injiciens *desiderium* perveniendi ad hoc regnum.

Quisnam erit deinceps meus *sermo?* Utinam vere et audacter possim dicere: « Quæ sursum sunt sapio, quæ sursum sunt quæro! »

O Domine, fac ut cor meum eructet semper verbum *bonum*, non verbum *stolidum*, *scurrile*, *vanum*, *mundanum*, *peccaminosum*. Loquar libenter de te, o mi Jesu, de benedicta Matre tua; loquar libenter ea quæ ædificent audientes, instruant ignaros, consolentur afflictos, et impellant omnium corda sursum ad te, o Deus meus et omnia! Et cum os loqui soleat ex abundantia cordis, da ut ipsum cor meum plenum sit rebus cœlestibus, vacuum vero terrestribus.

C. *Opera.*

Christus Dominus præbuit se *vivum* in multis signis et argumentis, probans se resurrexisse *vere*, *perfecte*, *in perpetuum*. — Oportet ut et ego multiplici modo probem ex singulis exercitiis recollectionis me vere resurrexisse a statu *peccati*,... a statu *tepiditatis*,... a statu *imperfectionis*, ad statum *meliorem*. Quod si hæc mihi proponerem in unaquaque recollectione menstrua, quam utilis mihi esset hæc sancta exercitatio!

IIum Punctum.— **Comitantia ascensionem.**

Tunc duxit illos Jesus in montem Oliveti, et videntibus illis elevatus est et ascendit in cœlum.

1° *Quis* ascendit? Ille qui prius descenderat in terram;... qui semetipsum exinanivit, formam servi accipiens;... qui a juventute fuit in laboribus;...qui positus fuit in signum cui contradiceretur; qui passus est dolores, ærumnas, opprobria, et mortem turpissimam sustinuit. Gaudeo, o mi Jesu, quod video te nunc tanta gloria circumdatum, tanta affluentem voluptate et lætitia, quem

hucusque videram pauperem, laborantem, contemptum et habitum ut vermem et abjectionem plebis. O si tibi fideliter serviero usque ad finem, licet nunc forsan videar miser et contemptus, post mortem particeps ero tuæ gloriæ tuæque interminabilis felicitatis.

2° *Unde* ascendit ? Ex hac lacrymarum valle, ex hoc tristissimi exsilii loco, ubi non invenit, a primo momento vitæ ad ultimum usque suspirium, nisi egestatem, ærumnas, labores, opprobria, contradictiones hominum. — An forsan ego non videor, patriæ oblitus, adhærescere infimis nugis hujus luctuosi exsilii ?

3° *Quo* ascendit? In cœlum, ut sedeat ad dexteram Patris in gloria et majestate. — O mi Jesu, sine me sanctissimæ tuæ Humanitati congratulari quod jam inveniatur in illo loco amœnissimo ubi « mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra. » (Apoc., xxi, 4.)

4° *Quomodo* ascendit? Propria virtute, est enim Deus. Ascendit, non raptus subito, sed lente, omnibus discipulis

aspicientibus. Quam suave, quam sublime spectaculum! Videor mihi, o mi Rex amantissime, videre te splendentem divina pulchritudine, benignissimo oculo aspicientem tuos quos relinquis in mundo, eisque, præsertim amantissimæ Matri tuæ, extensis manibus, ultimam impertientem benedictionem, et, dum elevaris, aspicientem et salutantem ingenti cum affectu, modo Bethlehem, modo Nazareth, modo desertum, modo templum Hierosolymitanum, modo cœnaculum, modo Calvariæ montem et quæcumque loca in quibus pro nobis orasti, laborasti, sudasti tanto cum amore.

Quis bonus sacerdos hæc meditans serio non exsultabit spe et lætitia? Hæc secum reputet: Quod contigit capiti, continget membris. Ergo si nunc generose *descendo* cum JESU per veram humilitatem, per obedientiam, per patientiam, per laborem et forsan per persecutionem, veniet hora qua et mihi dabitur *ascendere*. Ascendam ex loco laboris et mœroris ad locum jucundissimæ pacis et æternæ felicitatis. Videbo

in cœlo Deum meum, « facie ad faciem. » « *Videbimus*, exclamat S. Augustinus, *amabimus*, *laudabimus*, *vacabimus*, *et hoc sine fine.* »

Itaque libenter nunc tolerabo miserias hujus mundi. Transibunt omnia tristia et injucunda ; transibunt labores et dolores ; non transibit *meritum*, non transibit *regnum*, non transibit *gloria*, non transibunt torrentes *voluptatis cælestis*, non transibit *gaudium Domini.*

III^um^ PUNCTUM.— Sequentia ascensionem.

Aspicientibus discipulis in cœlum duo viri astiterunt in vestibus albis, dicentes : « Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum! Hic JESUS, qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. »

1° *Personæ.*

Istos duos viros angelos fuisse credimus. In *discipulis* autem consideremus *ingens desiderium* sequendi Christum ; in *angelis* studium consolandi eos. Promiserat Dominus JESUS, non multos post dies, missurum se consolatorem

Spiritum sanctum, et ecce tanta est ejus suos consolandi per absentiam voluntas ut interea temporis mittat suos angelos, ne usque ad adventum S. Spiritus careant omni consolatione. Semper plus dat quam promittit. Sic apostolos promiserat visuros eum esse in Galilæa, et noluit exspectare donec esset cum ipsis in Galilæa ; prima enim die suæ resurrectionis jam sua præsentia eos dignatus est.

2° *Verba.*

Insinuant angeli nos semper conjungere debere fiduciam et salutarem timorem, *memoriam Salvatoris ascendentis et exspectationem Judicis.*

3° *Opera.*

Discipuli *obediunt* mandato Jesu, redeunt Jerusalem cum gaudio, et ibi « omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum Maria Matre Jesu. » Ergo princeps eorum negotium fuit : orare,... in oratione perseverare,... uno animo et uno corde... et orationem suam Mariæ precibus fulcire. Hæc nobis facienda sunt in omni menstrua recollectione : *oremus... perseveremus*

in oratione,... maneamus conjunctissimi in corde Jesu et Mariæ.

CONSIDERATIO.

De conditionibus sanctitatis.

« Sanctificamini et estote sancti, quia ego sum Dominus Deus vester. » (Levit., XX, 7.)

Ad sanctitatem vocati sumus omnes, et tamen pauci *vere sancti* evadunt. Quare? Quia pauci implent *conditiones* quæ requiruntur ad sanctitatem. Utilis igitur erit et jucunda sacerdoti harum conditionum consideratio.

Ante omnia respondendum est tribus objectionibus quibus plures detinentur ne evolent ad sanctitatem.

Prima objectio: *Sancti erant alius naturæ, alius conditionis quam ego !* — Hoc falsissimum est. Sancti, dum vivebant, erant quod nos sumus, homines multis obnoxii miseriis, multis tentationibus vexati, ejusdem ac nos fragilitatis. Immo aliqui ex eis fuerant maximi peccatores, antequam pervenerunt ad sanctitatem. Multi eorum qui nunc gaudent honoribus sanctorum, quando inter mortales degebant non adeo sancti videbantur.

Secunda objectio: *Tardius est, serius est !* — Et hoc falsissimum est. Quis es tu, o mi Frater, ut audeas ponere fines potentiæ,

sapientiæ, misericordiæ Dei? An indiget Deus tempore aliquo ad te sanctificandum? Nonne visi sunt octogenarii peccatores, post conversionem, brevi pervenisse ad sanctitatem?

Tertia objectio : *Nimias habeo tentationes, nimias passiones.* — « Faciet Deus *etiam cum tentatione* proventum. » (I Cor., X, 13.) Vexare te possunt tentationes, nolentem te impedire non possunt. Inter Sanctos numerantur multi qui majoribus tentationibus vexati fuerunt quam tu, et majores quam tu senserunt passiones. Vide quot quantisque S. Paulus premeretur tentationibus, qui tamen factus est sanctus.

Noli igitur dicere : Sancti fuerunt alterius conditionis ; serius est ; difficilius est. Dummodo impleas conditiones sanctitatis, sanctus eris.

Conditiones autem sunt: 1ª *firma voluntas*, 2ª *judicium sanum*, 3ª *invicta fortitudo animi.*

I. *Firma voluntas.*

Nemo fuit sanctus, nisi sanctus fieri *voluerit*, voluntate vera, constanti, forti atque tali quæ inducat ad adhibenda media quæ suppeditat divina Providentia.

Omnia alia adsint, si non adfuerit voluntas, nihil obtinebitur. Judas non attigit sanctitatem, quia non habuit voluntatem se sanctificandi. Cætera omnia habebat : ipsum Filium Dei habebat Magistrum, optimam

docebatur doctrinam, aderant ei opportunæ monitiones, exhortationes, exempla ; et tamen Judas periit Dei sui proditor.

Unde venit ut in eodem clero tanta sit diversitas fervoris, sanctitatis? Innumera habent sacerdotes sanctitatis adjumenta, omnibus communia ; et ex altera parte certum est facienti quod in se est nunquam deesse Dei gratiam. Unde igitur tanta differentia? Ex differentia voluntatis. Nonnulli volunt adhibere media sanctitatis, non voluntate *vera*, et propterea nullum adhibent medium, et semper iidem perstant. Aliqui ea media volunt adhibere, sed voluntate *limitata*, ita ut jucunda et facilia media admittant, injucunda et difficilia respuant ; et hi non magnum progressum faciunt. Pauci volunt ea media adhibere voluntate *plena*, *virili* atque *constanti*, et hi ad sanctitatem incunctanter pervenient.

II. *Judicium sanum.*

Multi distant longe a sanctitate et nunquam sanctitatem adipiscentur, quia *voluntarie* laborant judicio falso.

Absque dubio *sani* judicii est æstimare res omnes pro valore quem reapse habere cognoscuntur. Sani proinde judicii est plurimi æstimare quæ maximum habent pretium et flocci facere quæ nullius sunt momenti.

Jam vero non raro accidit ut ipse sacerdos

alio prorsus modo videatur procedere. Certe nulla est comparatio *temporis transitorii* cum *æternitate ;* nulla *gloriæ* quæ venit ab *homine* cum gloria quæ venit a Deo ; nulla *commodorum corporis* et *gaudiorum mundi* cum torrente illarum voluptatum quibus inebriantur electi Dei. Et tamen in ratione agendi et loquendi non unus sacerdos videtur pluris facere res nugatorias hujus temporis quam res æternitatis, gloriam humanam quam gloriam cœlestem, mundi gaudia quam gaudia cœli. Qui tale practicum judicium habuerit, ad sanctitatem non perveniet. Quapropter habeamus frequenter in ore, quod habebat sanctus Aloisius : « *Quid hoc ad æternitatem?* » Quod *sciebat* Aloisius suæ æternitati esse *impedimentum* abjiciebat ; quod sciebat *utile* suæ æternitati, amplectebatur ; quod sciebat suæ æternitati *indifferens*, spernebat. Sic et nos faciamus, et sancti erimus.

III. *Fortitudo in adversis.*

« Multæ tribulationes justorum. » (Ps. XXXIII, 20.) Oportet igitur adspirantes ad sanctitatem pati multa mala. Patiuntur modo ex parte *dæmonum*, modo ex parte *mundi*, modo ex parte *corporis*, modo ex parte *fratrum*, modo ex parte *superiorum*, modo ex parte ipsius *Dei*. Fassus est JESUS cum sinceritate viam ad sanctitatem *non* esse viam *latam*, sed *arctam*, *non floridam*

sed *asperam*, obsitam spinis et vepribus. Fassus est regnum cœlorum vim pati; fassus eos solos qui crucem ferant ad sanctitatem aptos esse. Ergo qui vult fieri sanctus, tribulationes habebit ; subeat eas more sanctorum, i. e. cum multa patientia, libenti animo, cum jucunditate. Audeat exclamare cum sancto Paulo : « Absit mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri JESU CHRISTI; » cum sancto Francisco Xaverio : « Amplius, Domine, amplius ; » cum sancto Joanne a Cruce : « Domine, pati et contemni pro te; » cum sancta Theresia : « Aut pati, aut mori ! »

Hi omnes sciebant tribulationem esse donum Dei..., signum dilectionis specialis..., optimam rationem suum amorem probandi.

Quam merito dixit Apostolus gentium : « Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt. » (II Cor., IV, 17, 18.)

EXAMEN.

Circa modum glorificandi Deum.

Possumus Deum glorificare *facto*, *desiderio*, *intentione*.

An hoc triplici modo Deum hucusque glorificavi?

I. FACTO. « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et *glorificent* Patrem vestrum qui in cœlis est. » (Matth., v, 16.)

Procul dubio opera mea glorificabunt Deum, si fideliter sequar regulam vitæ sacerdotalis.

In specie :

1° An surgo *hora statuta, celeriter, devote?*

2° An missam lego *reverenter, attente?*

3° An oro *quiete, continue?*

4° An exerceo devotiones ultroneas *breviter, suaviter?*

5° An conversor *amice, caute?*

6° An comedo *modice, modeste?*

7° An recreo me *honeste, humaniter, hilariter?*

8° An studeo *alacriter, ordinate, serio?*

9° An benefacio proximo *prudenter, prompte?*

II. DESIDERIO. « Sanctificetur nomen tuum. »

1° Hoc verbum ex oratione dominica dicendo frequenter et ferventer, an intendo, ut sancti intendebant, exprimere piissima desideria :

a) Ut sanctitas et gloria divini nominis augeatur in dies per *conversionem* peccatorum et infidelium ; per *profectum* et *constan-*

tiam in bonis justorum ; per *patientiam* pauperum et afflictorum ?

b) Ut *omnes* agnoscant, adorent et laudent Deum ejusque voluntatem exsequantur ?

2° An pro virili parte connitor ut hæc desideria impleantur, et si forte non multum possim, an saltem ardentes ad Deum preces effundo in hunc finem ?

III. INTENTIONE. « Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, *omnia* in gloriam Dei facite. » (I Cor., x, 31.)

1° An soleo intentionem *actualem crebrius* renovare ?

2° Cum triplex esse possit intentio, nempe *a) servorum*, qui agunt ob *pœnam* evadendam, *b) mercenariorum*, qui agunt ob *præmium* consequendum, *c) filiorum*, qui agunt ob *purum* ipsius Dei *amorem : quæ* solet esse *mea* intentio ?

3° An in me sunt signa rectæ intentionis quæ indicantur a probatissimis vitæ spiritualis magistris ?

Hæc signa sunt : non turbulenter rem aggredi :... non anxium esse ;... non perturbari ;... ob rei eventum minus prosperum non affligi ;... aliorum judicia non anxie quærere ;... omni vana cogitatione post factum carere ;... opiniones hominum contemnere ;... æque diligenter omnia facere, sive privatim fiant, sive multi sint spectatores vel auditores, sive pauci ;... nec laudibus

extolli, nec vituperiis dejici... ; resignatum ad omnia esse, et nihil optare et nihil timere.

O JESU, videndo quomodo tu in terris non *tuam* quæsiveris gloriam, sed *Patrem tuum* honoraveris, rogo te humiliter ut ego non jam quæram gloriam meam, sed tuam, qui redemisti me venditus, vivificasti occisus, honorasti probris vexatus. Fac ut deinceps afferam tibi *gloriam* et *honorem* in omnibus. Amen.

RECOLLECTIO XII.

MEDITATIO.

De virtutibus Cordis JESU.

1. Præl. Audiamus JESUM dicentem : « Discite a me quia *mitis* sum et *humilis* corde. » (Matth., XI, 29.)

2. Præl. Petamus gratiam nos stabiliendi in virtute *mansuetudinis* et *humilitatis*.

Iᵘᵐ PUNCTUM.— Mansuetudo Cordis JESU.

Mitis fuit JESUS in corde, ac proinde in verbo quoque et in opere.

1° *In corde.* « Mansuetudo, ait S. Thomas, facit hominem esse *compotem sui.* » Unde dicitur (Eccli., X, 31) : « Fili, in mansuetudine serva animam tuam. » Quam compos sui JESUS! Nonne semper sui similis, semper sibi æqualis? Nonne tranquillo semper animo, abstinens ab omni inordinato motu? Nonne alienus ab omni vindictæ appetitu, compescens indignationem, temperans zelum ?

O Domine, quam longe abfui ego ab illa animi pace qua video te semper

usum ; quam longe ab illa constanti æquanimitate, quam in te omnes admirabantur qui tecum vivebant. Quam sæpe turbor vel minima re ; quam sæpe agitor, licet sacerdos sim, vindictæ appetitu ; quam sæpe irrationabiliter irascor ; quam sæpe ipsum zeli exercitium amaritudine contamino. Profecto pudet me continuis, lunæ instar, mutationibus me obnoxium ostendere. Utinam, sicut tu, o mi JESU, semper mihi essem similis, constans et æqualis ! Melior essem et fortior, aptiorque ad Dei cognitionem.

2° *In sermone.* « Non clamabit, nec audietur vox ejus foris. » (Isai., XLII, 2.) Scilicet, modus ejus loquendi non discrepabat a corporis et vultus compositione modestissima. Quam *comis*, quam *blandus*, quam *amabilis* in conversatione ! Adeo *affabilis* erat omnibus, ut omnes alliceret. Et dum docebat in templo, ita *suaviter* loquebatur ut omnis populus suspensus esset, audiens illum. (Luc., XIX, 48.)

Quam longe iterum absum a divino meo exemplari ! Forsan arceo fideles a mea cathedra, quia sermo meus *durior*

est vel *amarior*. Forsan arceo pœnitentes a confessionali meo, quia meus modus reprehendendi *asper* est et *iracundus*. Forsan fugitant boni meum commercium, quia deest mihi affabilitas, deest comitas, deest in eos alloquendo suavitas. Forsan ipsa domus mea incolis injucundior, quia, frequenter objurgando, altiori voce increpando, cum imperio jubendo, sum « sicut leo in domo mea, evertens domesticos meos et opprimens subjectos mihi. » (Eccli., IV, 35.)

Fac, o mi JESU, ut sicut tu, non solum blandus sim moribus sed etiam alloquio, ita ut suavitate sermonis mihi alliciam omnium animos eosque tibi lucrari valeam.

3° *In actione.* Quem unquam visus est JESUS dure excipere aut aspere repellere ? Neminem. Cui unquam nocuit ? Nemini ; sed potius, omnibus omnia factus, omnibus benefecit. Quam merito prædixit de eo propheta : « Calamum quassatum non confringet, et linum fumigans non exstinguet ! » (Isai., XLII, 3.) Et sanctus Petrus testatus est

« eum pertransiisse benefaciendo. » Quam suaviter et mansuete agebat cum discipulis, cum peccatoribus, cum pauperibus, cum inimicis!

Erubesco, o mi JESU, dum video quantum a tua differat mea agendi ratio. Tu tam comis, ego tam durus; tu tam mitis, ego tam acerbus; tu tam affabilis, ego tam molestus. Concede mihi ut deinceps, te imitando, mansuetius agam erga fratres, erga pauperes, erga parvulos, erga pœnitentes, erga domesticos, meque faciendo omnia omnibus, transeam per hanc vitam *benefaciendo.*

II^um^ PUNCTUM. — **Humilitas Cordis JESU.**

In mysterio Incarnationis eximie elucet Ducis nostri *humilitas.* Etenim « cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus. » (Philipp., II, 6, 7.) « Et Verbum caro factum est. » (Joan., I, 14.) Quod hic *actione* docet JESUS, postea *sermone* confirmabit, dicendo : « Discite a me quia mitis sum et humilis corde. »

Humilis fuit JESUS :

1° *In intellectu.* Quodnam ejus erat *judicium* de gloria humana, de humanis judiciis, de laude, de applausu hominum ?

2° *In voluntate.* Qualis ejus *affectus* erga honores ? erga opprobria ? Quæ Cordis ipsius *desideria ?*

3° *In intentione.* Omnia Patri suo accepta referebat, et ad unam ipsius gloriam miracula, doctrinam, fructus prædicationis dirigebat.

4° *In verbis.* Nullum verbum arrogantiæ aut superbiæ unquam excidit ex ore ipsius.

5° *In actione.* Cum summa patientia et cum ingenti gaudio sustinuit opprobria atque contemptum, dum tractabatur non ut homo sed ut vermis et abjectio plebis.

Iterum, o mi JESU, cum pudore agnoscere debeo me tui esse dissimilem. Tu scis quodnam soleat esse *judicium meum* de gloria humana ; quænam *vota mea* et *desideria ;* quænam *intentio* in laboribus ; quænam *arrogantia* in *sermone ;* quænam *vanitas* in *opere.* Attamen non ignoro intolerabilem esse

impudentiam, ut, *ubi exinanivit se Majestas, ibi vermiculus infletur et intumescat.*

Cum gratia tua, o mi JESU, firmiter statuo me in posterum exhibere *humilem.*

1° Erga *Deum.*

a) Appretiando eum super omnia, nihil ei præferendo ;

b) In re prospera omnem ei referendo gloriam, non mihi ;

c) In re adversa læto animo ei gratias referendo, quod tale quid permittere dignatus est.

2° Erga *homines.*

a) Neminem contemnendo sive cogitatione, sive verbis, sive modo agendi;

b) Minimi faciendo hominum judicia ;

c) Singulari amore illos prosequendo a quibus me intellexero contemptum.

3° Erga *me ipsum.*

a) Memetipsum deprimendo propter peccata ;

b) Non affectando, non desiderando, non quærendo hominum existimationem, famam, laudes, munera speciosa;

c) Gaudendo de neglectu mei, de contemptu, de omni humiliatione.

O Pater æterne, per humilitatem Filii tui dilectissimi, rogo te suppliciter, ut occasione hujus recollectionis ita bene discam *humilitatem cordis*, ut fiat anima mea veluti *vallis* quædam ad quam naturali motu torrentes gratiarum confluant, et sic lætus in me experiar quod promisit Filius tuus, dicendo: «Et invenietis requiem animabus vestris.» Amen.

CONSIDERATIO.

De querelis piorum.

« In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate. Verbum sanum, irreprehensibile ; ut is qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis. » (Tit., II, 7, 8.)

Ut nos sacerdotes hoc monitum S. Pauli certius sequamur, utile erit considerare de quibus soleant nos accusare *laici*, non solum qui ex adverso sunt, sed etiam ii qui sectantur pietatem et qui optima cum intentione quædam nobis objiciunt.

Omnes eorum querelas et accusationes ad

quatuor capita reducere possumus. Solent enim nos accusare :

1° De defectu *gratitudinis ;*

2° De defectu *gravitatis* in modo fungendi ministerio sacro ;

3° De defectu *zeli* erga personam Christi ;

4° De defectu *zeli* pro sanctificatione animarum.

Prima accusatio est de *defectu gratitudinis.*

Nimirum conqueruntur nonnulli quod sacerdos videatur *parvi facere* ea quæ pro usu ecclesiæ dono dederint. Hoc autem fiet, si sacerdos permittat, ea quæ dono data fuerant, negligentius tractari a sacrista ; si brevi tempore ornamenta prorsus appareant lacera, vel trita, vel sordibus plena ; si intentio donantium non satis adimpleatur.

Aliquoties, sed rarius, fiunt querelæ quod pecunia collecta non adhibeatur integra ad id ad quod collecta fuerat. Immo aliquoties apud aliquot homines orta est suspicio, immerito sane, de abusu pecuniæ quæ data fuerat pro bonis operibus, quasi sacerdos in proprios usus eam convertisset ; quod tamen vix credibile est posse fieri a sacerdote sanæ mentis. Talis autem suspicio quorumdam menti suboriri posset, si viderent eum qui colligit pecuniam pro piis operibus, nimis laute et splendide se tractantem vel hospites excipientem.

Ex querelis hujusmodi triplicem conclusionem deducere licebit.

1° Non possumus oblivisci inter virtutes vere sacerdotales non ultimam esse debere *gratitudinem.* Nunquam omittamus, vel pro minimo dono, etiam pro levissimo officio, sive acceptum sit a divite, sive a paupere, *gratias agere*, vel verbotenus, vel brevi scripto, vel brevi aliqua visitatione.

2° Secunda conclusio sit, *ostendere* semper aliquo modo nos *magni facere* ea quæ fideles offerunt nobis vel pro ecclesia, vel pro pauperibus, vel pro aliis quibusvis operibus, et *curare* ut res accepta diligenter custodiatur, in bono statu conservetur et juxta intentionem donatorum adhibeatur. Id si intellexerint fideles, libentius dabunt et dabunt confidenter.

3° Tertia conclusio sit, scrupulosissimos nos probare quoad *usum* pecuniarum quæ nobis committuntur. Et hac in re laudabilius est peccare *excessu* fidelitatis, quam *defectu.* Nunquam ita agat bonus sacerdos, ut malevoli nos suspicari possint de minimo abusu rei tam sanctæ, qualis est pecunia nobis a fidelibus ex pietate concessa. Harum rerum *dispensatores* sumus, non domini.

Coram Deo fervens sacerdos, et sanctificationis suæ sollicitus, identidem cum fructu se examinat, an non dederit piis hominibus occasionem nos de ingratitudine accusandi

et firmiter sibi proponit nullum beneficium, nullum donum, nullam oblationem, quantulacumque sint,relinquere absque aliquantula gratitudinis significatione.

EXAMEN.

Circa mansuetudinem sacerdotalem.

« Ego quasi agnus mansuetus. » (Jerem., XI, 19.)

« Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. » (Luc., X, 3.)

1° An mihi persuasum est mansuetudinem esse virtutem vere sacerdotalem et omni sacerdoti pernecessariam? An proinde serios adhibeo conatus ad imitandam mansuetudinem JESU?

2° An adeo assuevi compescere *iræ* et *impatientiæ* motus, ut, cum surgunt in animo, statim me inveniant cautum et ad eos comprimendos paratum?

3° An non sum ego e numero illorum sacerdotum qui minima re turbantur, offenduntur, et qui omni occasione sinunt se abripi vel ad motus impatientiæ vel ad appetitum vindictæ?

4° An non utor erga domesticos, erga parœcianos, erga ecclesiæ officiales, verbis pungentibus et acerbis, objurgationibus atque minis?

5° An facile trado oblivioni injurias ac-

ceptas, eas condonando ex animo et facilem præbendo aditum ad reconciliationem?

6° An vito quantum possum disputationes et contentiones? An libenter contradicentibus cedo, amore pacis? Et si sententiam meam propugnandam existimo, an loquor ea mansuetudine atque moderatione, ut pateat omnibus non id agi ut superior in aliqua re videar, sed ut veritati suus sit locus?

7° Quotiescumque judico me uti debere erga aliquem reprehensione vel correctione, publice vel privatim, an id agendo ostendo me compotem mei et ea ratione ut potius videar agere tamquam *pater*, non tamquam *dominus?*

8° An in respondendo eis qui vel irati me alloquuntur vel importune interrumpunt me occupatum, recordor Spiritum sanctum dixisse: « Responsio mollis frangit iram? » (Prov., XV, 1.)

9° An sedulo vito signa impatientiæ dare ubi esset majus periculum scandalizandi pusillos, ut:

a) In altari, præsertim inter missam celebrandam?

b) In tribunali pœnitentiæ, erga peccatores, erga scrupulosos, erga rudes et parvulos?

c) In sacristia, erga vicarium, sacristam et alios?

d) In cathedra, vociferando contra *absentes*,

dum melius foret *præsentes* suaviter edocere et ad virtutum exercitium impellere?

Mitissime JESU, qui *beatos* dixisti *mites*, quoniam possidebunt terram (Matth., V, 4), largire mihi, quæso, sacerdoti tuo, tantum mansuetudinis donum, ut inter subditos meos *alter* appaream *Christus*, non dignitatis solum et potestatis prærogativa, sed suavitate morum et sermonis lenitate, et sic possidere valeam corda omnium et eo facilius ea effingere ad omnes virtutes vitæ christianæ. Amen.

RECOLLECTIO XIII.

MEDITATIO.

De zelo sacerdotali.

1. Præl. Audiamus sanctum Paulum dicentem : « Æmulor enim vos Dei æmulatione. » (II Cor., XI, 2.)

2. Præl. Petamus gratiam zelandi zelo vere sacerdotali.

Iᵘᵐ Punctum. — Zelus necessarius est propter vocationem.

Zelus *amore* excitatur, *amore* se nutrit et in *amorem* desinit, ita ut *amor* et *zelus* a se invicem vix disjungi possint. Quapropter S. Augustinus audacter pronuntiat « eum, qui non zelat, non amare. » Hinc merito definiri potest zelus : Caritatis effectus quo quis curat ut Deus, ab ipso amatus, ab aliis etiam diligatur. Unde patet eo majorem fore zelum quo major fuerit caritas.

Supponere aliquem sacerdotem zelo carere, fere perinde esset, ut si quis supponeret eum de statu suo decidisse. Vi enim status *zelare debet* sacerdos. Vi status sumus omnes *sal terræ* incipien-

tibus, *lux mundi* proficientibus, *civitas supra montem posita* perfectis, *adjutores Dei* in reducendis singulis ad bonam frugem, *legati Dei* in edocendis universis. Ad hoc accepimus sacerdotium. Qui baptizatur, in bonum suum baptizatur ; qui suscipit Eucharistiam, eam sibi suscipit ; qui extremum inungitur, ungitur in suum bonum ; at *nemo ordinatur* unice in proprium commodum, nemo ut cœlum *sibi* lucretur *consecratur*, sed ut *alios* juvet ad cœlum obtinendum. Ergo si sal infatuatum fuerit, ejiciatur in sterquilinium ; si sol involvat se tenebris, ut quid cœlum occupat ? detrahatur ; si civitas supra montem posita portas ascendentibus clausas teneat, evertatur ; si Deum adjuvare nolimus in negotio animarum, eamus in eremum; et si legatione fungi nolimus ad honorem Regis nostri æterni, etiam legati nomen ponamus. Male agit sacerdos, etiam qui cæterum bene agit, si agit tantum sibimetipsi.

II^um^ PUNCTUM. — **Zelus probat amorem erga Deum.**

Quid jucundius est *viro ingenuo* quam posse probare certis argumentis benefactori suo se minime indignum esse beneficiis quæ accepit ?

Quid dulcius est *filio generoso* quam patri suo amantissimo dare posse testimonia non dubia suæ erga illum filialis dilectionis ?

Quid magis appetit *miles* quam, spectante duce, exhibere suam virtutem, vitam suam pro patria profundendo ?

Quid avidius quærit *amicus regis* quam dare posse suo regi signa solida suæ fidelitatis suique amoris ?

Sed, o sacerdos generose et fidelis, nonne Deus *benefactor* tuus est *eximius*, nonne *Pater* tuus, nonne *Dux* tuus, nonne *Rex* tuus optimus, desideratissimus et amabilis nimis ? Jam vero, zelando gloriam ejus, quid aliud facis quam parem referre gratiam Benefactori tuo, quam probare Patri tuo dilectionem, quam exhibere Duci tuo tuam virtutem, Regi tuo tuam fidelitatem ?

Videte Apostolos, videte Martyres,

videte Doctores, videte S. Franciscum Xaverium, S. Vincentium a Paulo, S. Carolum Borromæum. Nonne ipsis fuit jucundissimum laborare, fatigari, frangi viribus, impendere talenta et vitam suam pro nomine Jesu? Jesus enim ipsis erat *omnia*, ipsum unice diligebant et omnes homines propter ipsum; *ubi* vero *amatur, non laboratur, et si labor est, labor amatur.*

IIIum Punctum. — **Zeli exercitium jucundum est.**

Nonne tibi jucundissimum esset, o bone et fervens sacerdos, si, acceptis ab auctoritate legitima clavibus omnium carcerum, libertate donare posses omnes qui in carceribus detinentur, supposito quidem prius virtute desuper data omnium mores fuisse mutatos, ita ut jam relapsus non esset timendus? Quam dulce hoc conscientiæ testimonium esset: Captivum liberavi, reddidi vitæ et restitui desolatæ familiæ!

Nonne, o sacerdos, jucundissimum tibi foret, si, detecta aliqua pretiosissima herba, posses omnes morbos fugare et

ita omnes omnino ægrotos sanitati restituere ?

Nonne tibi jucundissimum foret, si, inventa mirifica aliqua docendi ratione, posses brevi tempore omnes tuos parochianos, etiam rudiores, imbuere scientia sana et utili ?

Nonne jucundissimum foret, si, accepta ingenti pecuniæ summa, posses adire domos pauperum, derelictorum et jamjam in desperationem deductorum, atque efficere tua præsentia et tuo beneficio, ut istæ domus, quæ modo infernus erant, in paradisum converterentur ?

Atqui, exercendo zelum, o Dei sacerdos, excellentiore modo et jucundiore hæc omnia præstas fratribus tuis. Habes enim *clavem* divinam, qua aperire possis quotidie carcerem teterrimum, in quo jacent *peccatores*, vinculis constricti, jamjam deducendi ad carcerem in quo æternis flammis ardere debebunt.

Habes *herbam* mirificam qua omnes spirituales morbos abigere possis; quid dico? herbam habes qua etiam mortuos innumeros restituas vitæ, vitæ non

mortali, non transitoriæ, sed vitæ *gratiæ*, vitæ æternæ.

Institutionem habes, non humanam, sed *divinam* qua omnes, etiam pueros et rudes, erudire queas, eosque evehere ad scientiam sublimem, ad quam non perveniunt viri etiam doctissimi hujus sæculi. Hæc institutio quid aliud est nisi aurea illa docendi ratio quam *catechizationem* nuncupamus ?

Quid de pauperibus dicam, quid de desperatis hominibus ? Juvantur utique pecunia ; sed hæc ad veram miseri consolationem non sufficit ; vox boni pastoris et compatientis,consilium ab ipso datum ex affectu vere paterno,spes per ipsum erecta in bona æterna,plus sane efficiunt quam omnes humanæ opes.

IV^um^ PUNCTUM. — Zelus sit prudens ac fortis.

Amplissimus campus patet zelo sacerdotali. *Messis quidem multa*, ait Dominus, *operarii autem pauci.* » (Matth., IX, 37.) Paucis igitur nobis sacerdotibus messis hæc multa commissa est. Utinam *numero* licet pauci,

opere tamen et *fructu*, magno numero æquiparari valeamus! Quod ut nobis contingat, omnino debemus procedere *caute* et *prudenter*, bene seligendo *materiam* circa quam volumus impendere nostrum laborem.

Forsan talis vel talis vir, parochianus meus, per plures annos quotidie mihi occurrit et vix illi do salutem. Impius non est; indifferens esse videtur; sed eheu! per istos annos ne semel quidem illum allocutus sum! Tamen parochianus meus est; ovis mea est; cum ipso stabo ante tribunal tuum, o JESU; pro anima ejus tibi respondere debebo. An tibi dicere potero, me fecisse pro ipso quod possem? Si in meo loco pastor fuisset S. Franciscus Salesius, quid fecisset circa talem hominem ut eum Deo lucraretur?

Insuper qui vult zelo excellere, *fortis* esse debet atque *magnanimus*. Talis certe non est qui meticulose fugit incommoda a victu, a tempestate, ab habitatione, valetudini metuenda.

Fortis non est cui labor itineris, contentio dicendi de cathedra, sessio

diuturna in sacro tribunali, hominum asperitas ruditasque inter intolerabiles molestias videntur esse numerandæ.

Magnanimus non est qui contradictionum, calumniarum, quæ conatibus nostris objiciuntur, impatiens est.

Fortis non est qui statim, pro qualibet re adversa, concidit animo, et qui levi vulnere perstrictus aut viso sanguine expallescit.

Qui fortis et magnanimus est, amat incommoda, nutritur molestiis, impedimentis accenditur, in ærumnis triumphat, stans et pugnans mori desiderat, neque desinit pugnare citius quam vivere. (Cf. P. Neumayr, Exam. oct.)

CONSIDERATIO.

De querelis piorum (2°).

Secunda accusatio est de *defectu gravitatis*.

Nonnulli conqueruntur de suis sacerdotibus eo quod eos videant tractare res religionis non ea *decentia*, non ea *reverentia*, non ea *fidelitate*, non eo *ordine* qui deberet esse in rebus tam sanctis, tam sublimibus.

1° Conqueruntur in primis quod ipsa ecclesia non sit munda; quod sinat paro-

chus omnia in ecclesia sordescere, ipsa vasa sacra,... ipsas vestes sacerdotales,... ipsum tabernaculum.

Conqueruntur quod sedilia et scamna vix unquam ordine posita conspiciantur; unde ingredientibus ecclesiam rerum disturbatio valde ingrata oculis appareat.

2° Conqueruntur nonnunquam quod celebrent sacerdotes missam citius, præcipitantius, sine ulla majestate, quasi ipsos tæderet stare ad altare et in sanctissimis mysteriis versari. Eædem querelæ sunt de tractatione parum reverenti Sacratissimi Corporis JESU, dum datur benedictio, vel dum defertur ab uno loco ad alterum.

3° Conqueruntur quod sinat parochus eamdem esse negligentiam, eamdem properationem in aliis omnibus cæremoniis sacris. Cantatur, aiunt, missa in choro, cantantur laudes, cantatur divinum officium, tam inordinate, tam cito, prolatione verborum tam parum firma, ut *clamores* edi putentur, non cantica sacra, adeo ut etiam homo bonæ voluntatis vix intelligere possit *quid* cantetur. Etenim non exigit parochus ut *bonæ* voces adhibeantur ad cantandas laudes Domini; non exigit ut ille, qui præest cantui, congruas instituat repetitiones; non exigit pro officio, ut omnes fungantur sancto suo munere *sancte* et *reverenter*.

4° Conqueruntur quod in aliquibus eccle-

siis nulla sit cura missæ inservientium ; quod scilicet parvuli missæ inserviant sordidis manibus et habitu indecoro, quod eis desit reverentia.

Incredibile est quantum hæc particularia, hæc prima specie exigua, conferant ad splendorem cultus et ad pietatem fidelium.

Recordemur nos esse *sacerdotes Dei*, nobis commissam esse *domum Dei ;* nobis commissum esse *populum Dei ;* a nostra diligentia pendere *gloriam* Dei, *splendorem* domus Dei, *sanctificationem* populi Dei. Ad dandam gloriam Deo, ad conservandam domum Dei, ad sanctificandum populum Dei, non est necesse ut polleamus magno ingenio, magna doctrina ; fideles simus dispensatores mysteriorum Dei, et sufficit.

Ergo *fideliter* et cum *decore* administremus sacramenta : *fideliter* exigamus ut omnia in nostra ecclesia, in nostro sacello *munda* conserventur et *bene ordinata ; fideliter* curemus ut cantus *pius* sit et *suavis ; fideliter* etiam curemus ut missæ inservientes bene formentur, et angelorum more, *mundi*, *modesti*, *reverentia* pleni, angelica nobis præstent obsequia ; et sic habebit per nos, sacerdotes, Deus gloriam ; splendebit per nos domus Dei et per nos populus Dei sanctificabitur.

Utinam, o mi JESU, omnes tui sacerdotes firmiter sibi proponant, occasione hujus

recollectionis, *res sanctas sancte tractare,... nihil negligenter,... nihil præcipitanter,... nihil leviter,... omnia cum gravitate,... omnia cum sancto decore...* Omnibus deinceps familiare sit hoc adagium: *Sancta sancte.* Amen.

EXAMEN.

Circa castitatem sacerdotalem.

« Te ipsum castum custodi. » (I Tim., V, 22.)

1° An mihi persuasum est, *castitatem* esse thesaurum inæstimabilem, quo homo angelis evadit similis, immo, ait S. Basilius, aliquo modo similis Deo; thesaurum quo homo liberatur innumeris miseriis, quibus obruuntur qui casti non sunt; thesaurum quo homo sibi comparat delicias angelorum?

2° An mihi persuasum est, merito exclamasse S. Hieronymum : « O ignis infernalis luxuria! cujus materia gula, cujus flamma superbia, cujus scintillæ prava colloquia, cujus fumus infamia, cujus cinis immunditia, cujus finis gehenna? »

3° An mihi persuasum est, nihil esse delicatius castitate, cum sit velut *speculum* nitidissimum, quod minima nubecula commaculet, et velut *flosculus* tenerrimus, quem omnis aura nequior corrumpat, enervet, enecet?

4° An igitur mihi magnus et constans est

horror ab omnibus quæ, vel a longe, contraria sunt castitati ?

5° An mihi summa diligentia est ad vitandam occasionem peccandi contra castitatem, ut est conversatio protracta cum sexu femineo, dicente Spiritu sancto : « In medio mulierum noli commorari? »(Eccli.,XLII,12.)

6° An maxime caveo ab omni affectu teneriori, ab omni talis affectus manifestatione, ab omni quacumque familiaritate cum personis piis et devotis ?

7° Si ex officio vel ex necessitate versor cum aliqua muliere, an diligenter custodio sensus meos, memor, uno ictu oculorum David ad turpissimum adulterium adductum fuisse ?

8° An declino visitare domos, in quibus commorantur puellæ, vel levioris ingenii, vel non mediocris pulchritudinis, vel propter quas facile oriantur suspiciones ?

9° An diligenter caveo, ne sim solus cum sola, januis clausis ?

10° An, in excipiendis confessionibus, de rebus ad castitatem pertinentibus interrogo *caute*, *parce*, *caste*, minime indulgens imprudenti curiositati ?

11° An sensuum portas cautissime custodio, non aspiciendo, non legendo, non auscultando quæ apta sunt suscitare rebellionem carnis et mentem implere nugis periculosis ?

12° Quomodo generatim me gero, dum pulsor aliqua tentatione contra castitatem ?

13° An fugio *occasiones* tentationum ?

14° An sedulo vito *otium ?*

15° An servo fideliter *temperantiam ?*

16° An utor *subsidiis* castitatis, scilicet oratione ferventi, filiali recursu ad Mariam et ad vulnera JESU, mortificatione corporis, frequenti confessione, ferventi S. Eucharistiæ susceptione ?

« O divina castitas, beatus qui te obtinet et constanter retinet ! Modicum laborabit et plurimum in te ipse gaudebit. » (S. Athan., *De Virg.*)

RECOLLECTIO XIV.

MEDITATIO.

De Doloribus B. M. V.

1. Præl. Repræsentemus nobis Mariam stantem juxta crucem Jesu.

2. Præl. Petamus gratiam imitandi Mariam in dispositione animæ ejus erga Passionem Filii sui.

Consideremus quam *fortiter* B. V. M. passa sit quæ pati debuit, quam *prudenter*, quam *fidenter*.

I^um^ Punctum. — **Passa est omnia fortiter.**

Fortis animi est horrenda pati mala neque eorum pondere deprimi vel dejici. Jam vero omnes sancti doctores qui de doloribus B. M. V. scripserunt, uno ore profitentur Mariam in terris talia sustinuisse, quæ nulla lingua exprimere, nulla mens comprehendere valeat.

Affirmat *S. Bernardinus Senensis* tantum fuisse Virginis dolorem, ut, si inter omnes creaturas, quæ dolorem pati possunt, divideretur, omnes subito interirent.

S. Ildefonsus putat se parum dicere, si dicat dolores B. V. superare omnium martyrum tormenta collective sumpta. Scimus tamen quam crudelia sustinuerint martyres.

Eamdem fere profert sententiam *S. Anselmus*, dum dicit, quidquid crudelitatis inflictum fuerit corporibus martyrum, *leve* fuisse aut potius *nihil* in comparatione afflictissimæ Matris.

« Immo, exclamat *S. Basilius*, Virgo universos martyres tantum excedit, quantum sol reliqua superat astra. »

Et quod magis est, talia fere per totam vitam sustinere debuit optima Mater. Quod quidem angelus expressis verbis aliquando declaravit S. Birgittæ hoc modo : « Sicut rosa crescere solet inter spinas, ita Beata Virgo in hoc mundo crevit inter tribulationes. Et sicut crescente rosa, crescunt spinæ, sic hæc electissima rosa, Maria, quantum crescebat ætate, tantum tribulationis spinis pungebatur. »

Merito igitur Mariæ applicantur hæc Jeremiæ verba : « Cui comparabo te vel cui assimilabo te, filia Jerusalem ?

Magna est enim, velut mare, contritio tua. »

Sed fortissima Virgo his omnibus doloribus superior fuit. *Stabat*, non jacebat ; stabat firmissima, animo inconcusso stabat juxta crucem Filii sui. Nos autem forsan ad minimum dolorem, ad minimam cladem, animo dejicimur ; non stamus, sed *jacemus* juxta crucem, nos Christi discipuli, nos præcones mysterii crucis!

IIum Punctum. — **Passa est prudenter.**

Variis modis eluxit *prudentia* Mariæ in iis quæ passa est.

1° Prudentia ejus eluxit quod non *fugit*, non vitavit occasionem patiendi. Intellexerat officium maternitatis, quod sibi ab angelo proponebatur ex parte Dei, fontem futurum esse multarum ærumnarum, multorum dolorum, multorum sacrificiorum, ingentium humiliationum, et nihilominus illud accepit :« Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. »

Nec minus ignorabat amoris nostri erga Deum probationem esse opera

nostra, opera præsertim ardua, difficilia, injucunda. Cum igitur summus ipsius esset amor, summum anhelabat dolorem, quia summam volebat esse amoris sui probationem.

2° Eluxit etiam prudentia quod nunquam visa est dolores suos circumferre, conquerendo, vel consolationes ab hominibus emendicando. Quæ patiebatur, alto silentio premebat.

3° Eluxit prudentia quod propter adversa nihil unquam mutavit in sua ratione agendi. Semper *eadem* manebat, æque fidelis, æque fervens, æque generosa ; semper *electa ut sol*, ita progrediens in cursu suo, ut propter maximas etiam procellas nunquam aliquid remoræ admiserit. Eodem passu procedebat in adversis sicut in prosperis.

Quam sæpe alia fuit nostra agendi ratio !

1° Quam sæpe fugimus crucem, vitavimus occasionem patiendi ! Forsan officium quod habebam deserui, vel quod mihi offerebatur repuli, quia animo refugiebam crucem ferre, adversa pati. Imprudentia erat ; nam officium

abjiciendo, abjeci occasionem probandi meum erga Deum amorem. Dederat Deus certamen ut vincerem, et ecce certamen declinavi.

2° Quam sæpe circumfero et in altum tollo cruces meas, ut ab omnibus videantur ! Conqueror, vel consolationes emendico humanas. Et imprudenter quidem ; timendum enim, ne aliquando mihi dicatur : « Recepisti mercedem tuam. »

3° Quam sæpe remissior factus sum in famulatu Dei *propter* ea quæ patiebar ! Et hæc est imprudentia summa. Sic enim agendo declaro me *vinci* adversitate, dum adversitatem superare debebam.

Ergo ad exemplum Mariæ, prudentiores nos exhibeamus. Propter difficultates ne deseramus officium a divina Providentia nobis impositum, neve recusemus officium ab obedientia nobis oblatum. Ærumnas nostras premamus silentio, et adversus auctores ærumnarum nostrarum dimicemus *tacendo.* Nunquam sinamus nos propter tribulationem, quantacumque sit, reddi remis-

siores. Quo major tempestas est qua agitatur cymba nostra, firmiores simus et fideliores.

III^um^ PUNCTUM. — Passa est confidenter.

Nunquam profecto meruit Maria audire : «Modicæ fidei, quare dubitasti?» Credebat enim firmiter Deum esse sapientissimum,.... potentissimum,. .. amantissimum. Hinc concludebat nihil sibi accidere, nisi quod voluerit, nisi quod permiserit Deus; Deum autem non permittere nisi quod sciat posse prodesse suis electis, et potentia sua infinita convertere mala nostra in bonum.

Plenissime igitur omnem suam sollicitudinem in Deum conjiciebat, ipsi plenissime confidens, et ipsius Providentiæ gubernandam prorsus se tradens.

O sacerdos, qui non ignarus es malorum, qui obnoxium te vides multis ærumnis, qui te vides despectum et humiliatum, confide, et ut confidas recordare verborum S. Petri : Hæc est gratia, si propter Dei conscientiam

sustinet quis tristitias, patiens injuste. (I Petri, II, 19.) Communicantes Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exsultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis. (IV, 13, 14.) Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis ; omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. » (V, 6, 7.)

CONSIDERATIO.

De querelis piorum (3°).

Tertia accusatio piorum est de *defectu zeli erga Christum Dominum.*

Sacerdotes nostri, aiunt, docent nos in suis concionibus, et merito quidem, nos habere in tabernaculo maximum thesaurum ; ibi nos habere præsentem die ac nocte Amicum optimum, Patrem amantissimum, Regem benignissimum, Consolatorem egregium, ipsum Filium Dei. Exhortantur nos ad visitandum JESUM frequenter, et non raro nobis ad memoriam revocant suavissima JESU verba : « Venite ad me omnes. » Sed proh dolor ! nihil *faciunt* ut JESUS frequenter visitetur. Si saltem darent exem-

plum, frequenter adeundo ecclesiam ! sed id faciunt rarissime. Immo *die adorationis* dum fideles intersunt vesperis, ipsi sacerdotes confessarii aliquando absunt, et parochiani vident unum alterumve relinquere parœciam *non salutato divino Hospite*. Putant pii conveniens esse, ut in solemnitate adorationis unusquisque sacerdos, tunc in parœcia præsens, per aliquot saltem momenta instituat visitationem Sanctissimi, etiam post meridiem.

A nonnullis conquestum est, quod non sat *facilis* sit fidelibus *aditus* ad JESUM. Ecclesia, aiunt, aperitur tardius, clauditur citius. Sunt aliquot ecclesiæ, ruri præsertim, quæ clauduntur summo mane, immediate post missam celebratam, et manent clausæ usque ad sequentem diem. Quomodo, quæso, in talibus parœciis esse posset praxis visitandi Sanctissimum ? Quam melior esset parœciæ status, si aliquot fideles quotidie, vel identidem per hebdomadam, tamquam angeli parœciæ, libere possent adire suum Salvatorem ibi corporaliter præsentem, et ei communicare tristitias suas, suas miserias, miserias aliorum. O quantum bonum operaretur in sua parœcia sacerdos, qui quotidie bis vel ter ab omnibus parochianis *videretur* adire tabernaculum, statutis momentis ; si intelligerent eum ibi orare pro necessitatibus suorum parochianorum, et

res parœciæ cum JESU componere et tractare! Paulatim inducerentur alii ad comitandum suum pastorem in tam pia actione. Ita de facto aliquæ parœciæ prorsus conversæ fuerunt.

O quam triste est videre aliquot sacerdotes fere quotidie abesse a sua parœcia; summo mane claudere januam ecclesiæ, abire, et domum reverti vespere, *non salutato Sanctissimo*. Habent tempus visitandi confratres longe distantes; non habent tempus visitandi confratrem proxime vicinum, JESUM CHRISTUM.

Os obturemus piis personis hac de re nos arguentibus, ita omnia ordinando ut vigeat in nostra parœcia *usus* visitandi Sanctissimum. In hunc finem — *observatis omnibus prudentiæ legibus*, quod nostris diebus, ob tentata et perpetrata sacrilega et furta, omnino necessarium est — per *conveniens* tempus apertam relinquamus ecclesiam, ut pateat omnibus aditus ad JESUM. Identidem hortemur omnes ad consolandum JESUM *nostra præsentia*, quotidie aliquem e singulis familiis deputando ad visitationem Sanctissimi. Sed super omnia pius sacerdos præeat exemplo, et ipse quotidie *sua præsentia* consoletur Dominum suum, et in illa visitatione committat cordi JESU et bona et mala quæ in illa parœcia facta sunt, simulque ei commendet omnes necessitates sub-

ditorum suorum. O si sciremus donum Dei!

EXAMEN.

Circa refectionem corporalem.

« Noli avidus esse in omni epulatione, et non te effundas super omnem escam. » (Eccli., XXXVII, 32.)

1° An in cibo potuque sumendo consector, non meam voluntatem, sed Dei voluntatem viriumque instaurationem ad Dei gloriam?

2° An non soleo excedere in *quantitate*, sumendo nimium cibi et potus?

3° An non soleo excedere in *qualitate*, appetendo lautiora et delicatiora?

4° An non facilius edo et bibo *extra tempora* ordinariæ refectionis?

5° An manduco et bibo *modice*, i. e. non cum nimia aviditate, non cum nimio ardore, non præcipitantius?

6° An non videor exquirere condimenta nimis studiose præparata?

7° An caveo ne sit totus animus intentus in id quod comedo vel bibo?

8° An non videor, ego sacerdos, *delibando* et *sorbillando*, pocillatores imitari?

9° An non libentius et frequentius loquor de cibo et de potu, quasi talia magni facerem?

10° An inter prandendum et cœnandum *modestus* sum, *temperans*, *moderatus* in loquendo, et valde *sollicitus* ne ad mensam meam dicatur aliquid quod caritati vel gravitati sacerdotali adversetur?

11° An sedulo id amoveo a colloquio quod, qui ad mensam inserviunt, minime audire debent?

12° An non *negligo* mensæ benedictionem et gratiarum actionem?

13° An inter comedendum memor sum mortificationis ex amore Christi ejusque benedictæ Matris exercendæ?

14° An *ante* comestionem cogitationes de cibis abscindo, et *in* ipsa comestione æstum et nimiam aviditatem cohibeo?

15° An non videor libentius interesse conviviis et epulis lautioribus?

16° An non frequentius sedeo ad mensam laicorum?

17° An non plus æquo alios invito ad edendum et ad potandum, vel, quod pejus est, an invitatos non imprudenter cogo ad excedendam mensuram honestæ temperantiæ?

18° An cum invito confratres ad meam mensam, non affecto alios superare, qualitate et quantitate ciborum et vinorum, quæ invitatis appono?

19° An apud me non ita *protrahuntur* convivia, ut inde facilius populus scandalum sumat?

20° An identidem me examino serio circa modum reficiendi corpus, ut sciam an nihil sit in quo videar deficere?

O mi JESU, concede mihi sobrietatem singulari studio colere, ut cum sanctis innumeris, sobrietatis amatoribus, mente semper disposita, te laudem et glorificem. Amen.

RECOLLECTIO XV.

MEDITATIO.

De falsis fontibus felicitatis.

1. Præl. Audiamus Christum Dominum nobis dicentem : « Quid prodest homini si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur ? »

2. Præl. Petamus gratiam intelligendi quam stulte homines agere soleant, quærendo suam felicitatem ubi inveniri non potest.

I^um^ PUNCTUM. — **Felicitas non est in gaudiis mundi.**

Naturaliter appetit homo felicitatem, neque potest eam non velle. Quærit igitur felicitatem, petit ubinam sit. O si attendisset ad vocem Dei, verum indicantis fontem humanæ felicitatis ! sed plerumque surdus est homo ad hanc vocem, et mavult aures præbere deceptori, qui suas ipsi ostendit cisternas, quasi continentes aquas felicitatis.

Quis mihi dabit ut sim beatus ? Homini hæc quærenti ecce adstat perfidus

mundus. Ostendit viam *jucundam, spatiosam, floridam, voluptatibus plenam ;* protendit coronas dicens : « Venite et fruamur bonis quæ sunt, et utamur creatura tamquam in juventute celeriter. Vino pretioso et unguentis nos impleamus, et non prætereat nos flos temporis... Ubique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, et hæc est sors. » (Sap., II, 6, 7, 9.)

Video, o mi JESU, in hac via, quam tu *latam* vocasti, turbam fere infinitam hominum lætantium, canentium, coronatorum rosis... sed marcescunt rosæ jam pro floribus calcantur spinæ, cessavit cantus ; suspiria audiuntur et gemitus, et tandem terribilis percipitur hæc vox : « Nos insensati !... ergo erravimus !... Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles... Quid nobis profuit superbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam umbra ! » (Sap., V.)

Et ego sacerdos, forsan a tempore quo evectus fui ad sublimissimam dignitatem sacerdotis, imprudenter emendi-

cavi aliquid felicitatis a mundo, et gustare volui aliquid ex gaudiis mundanorum... Forsan quæsivi meam felicitatem in *divitiis*... in exquisitione *commodorum vitæ et mensæ lautitiis*....

Sed in his pro felicitate inventa est *vanitas* et *afflictio spiritus*.

Ecce sapientissimus hominum voluit et ipse haurire ex hac mundanorum cisterna. Dixit enim in corde suo : « Vadam et affluam deliciis et fruar bonis » (Eccle., II); et fecit sibi hortos, pomaria, domum regiam, palatia magnifica, omnique deliciarum genere fruitus est. Quid vero Salomon in tanta rerum affluentia? « Cumque me convertissem, ait, ad universa opera quæ fecerant manus meæ... vidi in omnibus vanitatem et afflictionem. »

Et quasi tanti viri testimonium et experientia non sufficeret, voluit et ipse Filius Dei, æterna veritas, nos attentos facere dicendo: « Quid prodest homini si mundum universum lucretur ? »

O mi Deus, da mihi gratiam nunquam petendi meam felicitatem a fonte quem per gratiam tuam agnovi esse

fontem *venenatum*, fontem *miseriarum*.

II^um^ PUNCTUM. — **Felicitas non est in honoribus.**

Sed ubi mea felicitas ? Ecce iterum mundus seductor adstat, et extollit vehementer dignitates, honores, magni nominis existimationem, famam et quidquid de nobis magnam hominibus opinionem ingerere potest.

Susurrat semper auribus nostris :

« Ascende superius, ascende altius, et beatus eris... Primos quære discubitus, et beatus eris. Videant te homines, loquantur de te, sis in omnium ore, et beatus eris... Quo altior, eo beatior ! »

« E contrario, quam infelix, qui per totam vitam jacet ignotus !... Quam infelix, qui misera tabescit oblivione !... Quam infelix, qui, tamquam vir nullus, transit per hanc vitam, despectus, contemptus, vilis !... Quære igitur gloriam, quære nomen, quære famam... In hoc sit labor, in hoc sit conatus, in hoc vita tua. »

Quot homines, hac fallaci instigatione

decepti, miserrimam duxerunt vitam! Honores, fama, dignitates, quid aliud generatim gignunt quam afflictionem et animi turbationem ?

Scimus quid acciderit primis nostris parentibus. Altius ascendere voluerunt, et prolapsi sunt in abyssum miseriarum.

Scimus quid acciderit Aman illi superbo, qui usque ad thronum regis se evexerat, et in patibulo suspensus exspiravit.

Scimus quid acciderit diabolo, qui volens ascendere ad thronum Dei, ad infernum deturbatus est, dolens in æternum, quod imprudentissime quæsierit felicitatem, ubi inveniri non poterat.

Scio, o mi Deus, quid mihi acciderit. Felicior, lætior, liberior eram, cum humanæ gloriæ, honoris, dignitatis minime cupidus, nominis existimationem indifferenti oculo aspiciebam ; sed ubi superbiæ stimulo plus minusve obediendo, incepi extendere manus ad inanem hunc fumum, quem *gloriam* nuncupamus, minus jucunda mihi visa est vita.

O Domine, da veniam ignorantiæ meæ, et noli permittere ut deinceps decipiar.

III^um^ PUNCTUM. — Felicitas non est in satisfactione propriæ voluntatis.

Sed jam tertio a deceptore mihi cavendum est, quando scilicet proponit, tamquam fontem felicitatis, plenam propriæ voluntatis satisfactionem.

« Dummodo liber sis, ait mundus, dummodo tuam, non alienam, in omnibus adimpleveris voluntatem, dummodo omnia quæ appetit animus, habeantur, dummodo volenti tibi omnia cedant, prædica te felicem ; nam felix est qui omnia, quæ vult, habet. »

Error hic est, error omnium pessimus. Nedum libertas hæc, quam tanti facere videtur homo, hominem felicem reddat, ei fontem aperit omnium malorum.

Quis non novit homines qui indulgent omni suæ libidini, qui divitiis honoribus, hominum existimatione gaudent, nec tamen felices sunt ; immo miseri sunt, ita ut eos tædeat vivere, et vitam tamquam intolerabile jugum trahant ?

Intellexi, Domine, meam felicitate
minime consistere in *gaudiis*, neque i
honoribus, neque in satisfactione *conc*
piscentiarum, ut mihi persuadere con
tur mundus.

Utinam, o mi JESU, nunquam cred
dissem mundo proponenti sua gaudi
Utinam nunquam fidem addidisse
mendaciis ejus! Utinam nunquam co
dis mei deliramentis indulsissem! Quie
tior vixissem, liberior fuissem, meliu
et jucundius vita hac, tam brevi, fruitu
fuissem.

Sed gratias tibi ago ex toto corde
quod me vocando ad sacerdotium, ma
gis ac magis me amovisti a fontibu
venenatis.

Da mihi intelligere, solummodo i
famulatu tibi fideliter præstito, verar
inveniri hominis felicitatem.

CONSIDERATIO.

De querelis piorum (4°).

Quarta piorum accusatio est longe fr
quentior et sub aliquo respectu gravio
Accusant nos de *defectu zeli pro animaru
sanctificatione*.

Hæc accusatio, nobis viris apostolicis certe injuriosa, orta est ex triplici fonte.

1° In primis aliqui sacerdotes visi sunt plus minusve *negligentes* quoad *infirmos* suæ parœciæ. Mortui sunt quidam sine consolatione ultimorum sacramentorum, vel quia sacerdotes, sine necessitate, frequentius aberant a sua parœcia; vel quia non nisi tarde et lente adire assueverunt ægrotantes ; vel quia ægrotantes non sat frequenter visitabant. Vix tamen putamus nostro tempore inveniri talem negligentiam,nam generatim nostri infirmi bene a suis sacerdotibus invisuntur, et non nisi casu infeliciter accidit, ut aliquis sine sacramentis, deficiente sacerdote, moriatur. Hinc tamen occasionem sumet bonus sacerdos sibi firmiter proponendi *habere singularem diligentiam circa ægrotos et moribundos*,ut nunquam de ipso dici possit : Ille homo mortuus est sine sacramentis, culpa parochi,culpa vicarii,culpa sacerdotis.

2° Aliqui sacerdotes videntur carere zelo animarum, quod *difficiles* se præbent ad excipiendas confessiones et ad distribuendam communionem.

Nostris temporibus,magis quam antea,impellimus homines ad frequentem confessionem,ad frequentem communionem,et nullus jam est sacerdos, habens aliquam experientiam animarum, qui non intelligat sine frequentatione sacramentorum nihil boni,nihil

solidi exspectari posse. Parochiæ quidem, ub frequentes sunt confessiones, ubi frequente communiones, non possunt non esse bonæ. e contrario parochia, ubi decrevit numeru confessionum, numerus communionum, me rito creditur degenerasse. Atqui quandoqu fit ut minus frequenter confiteantur fidele *quia eis deest occasio confitendi.* Plures confi terentur singulis hebdomadis: sed *sacerdo non vult* tam sæpe in suo tribunali sedere Plures gauderent si identidem, in decurs hebdomadæ, possent exonerare conscien tiam, sed non possunt *quia*, etiam roga tus, *nunquam* ad confessionale *vult* acceder pastor, nisi diebus dominicis et festis. Ho *durum* videtur, immo et *crudele;* nam inter ea possum mori subito, possum mori cas improviso, et si anima mea, in statu peccat mortalis deprehensa, sic appareat corar Judice suo, in confessarium suum conjicie per totam æternitatem causam suæ tristis simæ sortis.

Putant igitur nonnulli aliquibus sacerdo tibus deesse zelum pro sanctificatione an marum, quia difficiles se præbendo a audiendas confessiones et ad distribuendar communionem, privant suos subditos *præc puo medio sanctificationis*, ad quod mediu existimant merito se jus habere.

3° Sed accusatio de defectu zeli præse tim orta est ex hoc, quod scilicet *non pau*

sacerdotes, in ipso ministerio confessionis, prorsus *negligere* dicuntur *spiritualem directionem*. Boni quidem sunt *confessarii*, non sunt animæ *directores*. Nempe optime judicant de natura peccatorum, de culpabilitate pœnitentis, de danda vel neganda absolutione, de occasione peccati fugienda vel toleranda. Hac autem parte sui ministerii contenti, pœnitentiam imponunt, absolutionem pronuntiant, sed de cætero *nihil;* nulla exhortatio, nulla stimulatio, nulla admonitio, ita ut dici possint *datores absolutionum*, quia per totum annum vix aliquid faciunt aliud, quam impertiri absolutionem. Mirum igitur non est, animas sibi commissas semper redire cum iisdem culpis, nullam acquirere virtutem, nulla in re facere aliquem progressum ; mirum non est, eas post plures annos esse in eodem statu, si non in statu pejori. O quam triste est audire homines qui, si bene directi fuissent, pervenissent ad magnam perfectionem, immo ad sanctitatem, dicentes gemendo cum paralytico Evangelii : « *Hominem non habeo*, qui stimulet me, qui impellat me, qui me doceat viam sanctitatis. » Et in unaquaque parœcia, in unaquaque communitate animæ sunt capaces maximæ virtutis, immo et sanctitatis.

O mi JESU, da mihi verum zelum animarum, da mihi sanctam sollicitudinem, qua

strenue laborem, ad sanctificandas, cum tua gratia, quam plurimas animas!

EXAMEN.

Circa zelum sacerdotalem.

« Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? » (Luc., XII, 49.)

I. An habet zelus meus qualitates zeli vere apostolici?

1° An *purus* est, a commodo proprio alienus?

2° An *simplex* est, a personarum acceptione prorsus remotus?

3° An *prudens* est, serviens et *personis*, et *loco*, et *temporibus*, ut *plus* boni eliciat, considerans quis, quid, quibus auxiliis, cur, quando rem agat?

4° An *generosus* est, par difficultatibus superandis, tollendis obstaculis, perferendis injuriis, contemptui, ingratitudini?

5° An *serius*, efficiens ut non memetipsum negligam, dum alios juvare intendo?

6° An *sincerus* est, non adhibens media inepta, non procrastinans apta, non præferens minus apta aptioribus?

7° An *fortis* est, non concidens animo in molestia, aut minimo incommodo?

8° An *amplissimus* est, extendens se ad *pueros*, ad *ægrotos*, ad *pauperes*, ad *peccatores* ad *justos*, ad *personas pias*, ad *viros* præsertim

9° An *sollicitus* est

a) Circa primam puerorum educationem ab ipsa matre instituendam?

b) Circa scholas parvulorum?

c) Circa scholas dominicales?

d) Circa vocationes dirigendas?

e) Circa confraternitates, circa sodalitia B. M. V., societatem S. Vincentii, associationem S. Francisci Xaverii?

f) Circa lectionem librorum et ephemeridum?

II. An nullus est in parœcia mea, in mea communitate, in meo collegio, in mea schola, de quo, dum stabimus simul ante tribunal Christi, dicere non possim : Domine, feci pro illo quod poteram?

III. An zelus meus comparari potest *igni* qui *ardet*, *illuminat*, *urit*?

1° An *ardet* zelus meus in *oratione*, consumens se sanctis desideriis?

2° An *illuminat* mentes aliorum *doctrina* et *exemplo*?

3° An *urit* animas, *agendo* fortiter et suaviter?

RECOLLECTIO XVI.

MEDITATIO.

De vero fonte felicitatis.

1. Præl. Audiamus vatem regium dicentem toto corde : « Mihi autem adhærere Deo bonum est ; ponere in Domino Deo spem meam. » (Ps. LXXII, 28.)

2. Præl. Petamus gratiam quærendi semper felicitatem, ubi Deus eam inveniendam constituit.

Fideliter servire Deo et esse beatum, inter se, ut loquitur Schola, convertuntur, ita ut prorsus idem sit Deo fideliter famulari et frui *vera* felicitate.

Ipsa *ratio* nobis id persuadet, probatur *testimonio Scripturarum*, et constat *experientia* quotidiana.

I^um^ PUNCTUM. — Testimonium rationis.

Et re quidem vera, ratione duce intelligimus rem *creatam* qualemcumque tunc bene se habere, quando ve adepta est finem ad quem creata est vel quando recta via in eum tendit Jam vero constat finem *hominis* esse ipsum Deum ; homo enim creatus es

ut Dominum Deum suum laudet, eum revereatur, eique serviat, et per hæc salvet animam suam. Ergo homo bene se habere non potest nisi ipsum Deum possideat, vel recta via ad Deum tendat... *Possidebit* homo Deum in *patria*, et propterea ibi perfecta fruetur felicitate ; sed in hac vita, quæ *via* dicitur ad patriam, *tendit* ad Deum, et quo rectius et firmius hic in Deum tendere conatus fuerit, eo etiam homo beatior conspicietur.

Quod si ipse Dei famulatus in se consideratur, facile est intelligere quam sit *gloriosus*,... quam *jucundus*,... quam *facilis*,... quam *proficuus*... Dominus enim, cui famulamur, omnium *maximus* est, omnium *amantissimus*, omnium *fidelissimus*, omnium *misericordissimus*, omnium *generosissimus*, ita ut tali et tanto Domino *servire*, idem sit ac *regnare* ; « servire Deo regnare est, » ait Ecclesia in sua Liturgia.

IIum Punctum. — **Testimonium S. Scripturæ.**

Quid in *Scripturis* sæpius memoratur quam Dei servorum *felicitas* et

sancta *lætitia ?* Ubique jubentur fideles Dei servi *lætari* et *exsultare :* « *Lætamini* in Domino et *exsultate*, justi, et *gloriamini*, omnes recti corde. » (Ps. XXXI, 11.) — « *Exsultent* in conspectu Dei, et *delectentur* in *lætitia.* » (Ps. LXVII, 4.) — « *Gaudete* in Domino semper ; iterum dico, gaudete. » (Phil., IV, 4.) — « *Gaudium* vestrum nemo tollet a vobis. » (Joan., XVI, 22.)

Verissime igitur regum sapientissimus : « Cognovi quod non esset melius nisi *lætari* et facere bene in vita sua. » (Eccle., III, 12.)

Verissime Isaïas : « Dicite justo quoniam bene. » (III, 10.)

Verissime auctor Proverbiorum ad Dei servum fidelem : « Quiesces, et suavis erit somnus tuus. » (Prov., III, 24.)

Verissime de eodem : « Secura mens quasi juge convivium. » (Prov., XV, 15.)

Verissime Psalmista : « Beati immaculati in via ; qui ambulant in lege Domini. » (CXVIII, 1.)

Verissime idem Psalmista : « Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum ! Cor meum et caro mea exsulta

verunt in Deum vivum. Quia melior est dies una in atriis tuis super millia. » (LXXXIII, 2, 3, 11.)

Et tu ipse, Domine JESU, verissime dixisti : « Jugum meum suave est et onus meum leve. » (Matth., XI, 30.)

III^em^ PUNCTUM. — **Testimonium experientiæ.**

Supponamus duos sacerdotes, quorum unus indulgere solet gaudiis hujus mundi, inhiat honoribus et inservit passionibus suis, contempto vel neglecto famulatu Dei. Alter, cum simplicitate, totus est in serviendo Deo suo, in lucrando animas, in adipiscendo propriam perfectionem ; vitat proinde peccatum, munus implet, gregem pascit quam optime potest, orat et per sacramenta « haurit gaudium de fontibus Salvatoris. » Uter, quæso, ex his duobus felicior ? Quid decernit hac de re nostra experientia ?

Volo, o mi JESU, me coram te examinare, an hic et nunc sim vere contentus, vere felix. Si felicem me invenero, simul confiteri debebo, id factum esse,

quia tibi servivi fideliter. Si miserum me deprehendero, difficile non erit cognoscere, meam in tibi serviendo infidelitatem hujus mali fuisse causam.

Gratias tibi ago, o mi Deus, ex toto corde, quod me peculiari modo addixeris tuo famulatui per sacerdotium, et propius proinde me adduxeris ad fontem aquæ vivæ, salientis in vitam æternam. Amen.

CONSIDERATIO.

De sacratissimo Rosario.

Cum sacerdos esse debeat, præ cæteris filius Matri Ecclesiæ devotissimus, legere non potuit admirabiles summi Pontifici Leonis XIII encyclicas de præsentibus Ecclesiæ calamitatibus, quin conceperit vehementem compassionis affectum, et simul desiderium Matrem juvandi frequenti sacratissimi rosarii recitatione. Ut ille pietatis affectus in nobis nutriatur, et jucundius pius sacerdos assuescat recitare rosarium, sequentia consideranda proponuntur.

Sacerdos, pie recitans rosarium, opus præstat *Mariæ jucundissimum, Ecclesiæ utilissimum, sibi ipsi valde proficuum.*

I. *Rosarium est opus Mariæ jucundissimum.*

Juvat hic transcribere quæ tradidit hac de re P. Alvarez de Paz, vir in tractatione rerum asceticarum facile princeps. Sic scribit in opusc. de vita religiose instituenda, sect. 2, cap. 3 :

« Inter alias preces quæ pro Virginis et Matris nostræ honore funduntur, illa precatio solemnis est, et nescio an ab aliquo etiam perditissimo fidelium omissa, quæ *Virginis Rosarium,* aut *Sertum,* aut *Psalterium* nuncupatur. *Rosarium* quidem, quoniam ex pluribus angelicis salutationibus tamquam ex suaveolentibus *rosis* componitur ; *Sertum,* quia Virgini ex ardentissimo animarum erga eam amore velut *diadema* regium offertur ; *Psalterium* tandem, quia, sicut psalterium Davidis centum et quinquaginta psalmis constat, ita et ista precatio ex eodem salutationum angelicarum numero, in quindecim denarios per quindecim orationes dominicas distincto, concinnatur. »

« Cujus precationis quanta sit utilitas, quam copiosus fructus, ex insigni revelatione cuidam Patri Ordinis Carthusiensis facta, perspicue cognosces. Eam Johannes Lansbergius, vir devotus et plane Deo deditus, his verbis enarrat. »

« Cum Prior quidam Carthusiæ Trevirensis, multis annis hoc exercitium quotidie coluisset, suffragante illa gloriosa Virgine, sæpius

per diem in cœlum revera rapiebatur ; ubi inter cætera clarissime vidit et audivit cœlestes cives, JESUM et Mariam super hujuscemodi articulis ineffabili lætitia et devotione benedicentes, et dulcissimis nominibus JESU et Mariæ reverentiam modo supra dicto exhibentes, necnon pro omnibus in ejuscemodi exercitio sese ipsis cœli civibus conformantibus in terris, Deum obsecrantes. Ad hæc, pro singulis id genus sertis rosariis, singulas coronas mirabili fulgore coruscantes, et immarcessibiliter illis in cœlestibus reponi. Plenam insuper peccatorum remissionem, singularem quoque gratiam et benedictionem in præsenti, gloriamque in futura vita, pro qualibet corona rosacea, illis a Domino JESU, per preces Beatissimæ Matris ejus, divina auctoritate promitti et conferri. Denique majorem Dei gratiam et salutis thesaurum in eodem latere exercitio, quam quispiam mortalium possit comprehendere, primæ veritatis testimonio illustratus cognovit, nobisque hæc post obitum in scripturis reliquit. »

« Hæc ille. Ex quibus constat precationem istam Christo Domino ac Virgini Matri esse gratissimam, quam proinde debemus, viros spirituales imitantes, devote ac pie frequentare. »

II. *Rosarium est opus Ecclesiæ utilissimum.*

Nullus sanæ mentis id diffitebitur, si attente percurrat Ecclesiæ historiam.

Dixit Spiritus S. de Sponsa sua (Cant. VI, 9.) : *Terribilis ut castrorum acies ordinata.* Profecto terribilis est, non suis, sed hostibus. Hostes Mariam timeant, est enim potentissima. Omnes hæreses pede suo immaculato contrivit ; omni tempore, solemnioribus periculis Ecclesiæ adfuit, et omnes præteritæ generationes nobis reliquerunt monumenta innumera, quibus exhibere voluerunt animum gratum pro potentissimo et efficacissimo ejus patrocinio. A quo autem florere cœpit laudatissima praxis Rosarii, ex ea « innumerabiles fructus in christianam rempublicam dimanarunt, inter quos victoria illa merito numeratur, quam sanctissimus Pontifex Pius V, et ab eo inflammati christiani principes, apud Echinadas insulas, de Turcarum tyranno potentissimo reportarunt. Quod quidem cum etiam Gregorius XIII testatus esset, in ecclesiis omnibus, in quibus altare Rosarii foret, prima quaque octobris dominica officium perpetuo celebrandum indixit. Clemens vero XI, animo reputans, insignem pariter victoriam, anno 1716 in Hungariæ regno a Carolo Sexto de innumeris Turcarum copiis relatam,... contigisse eo ferme tempore quo sanctissimi Rosarii confratres, publicam supplicationem in alma urbe... magna... reli-

gione peragentes, fervidas ad Deum preces pro Turcarum depressione funderent ac potentem opem Deiparæ Virginis... implorarent, illam victoriam, nec non liberatam paulo post eorumdem Turcarum obsidione Corcyrensem insulam, ejusdem beatæ Virginis patrocinio pie censuit adscribendam. » (Brev. Rom. Off. innov.)

Nemo non videt nostra tempora non minus esse luctuosa, neque inimicos Ecclesiæ pauciores aut minus formidolosos. Sed ecce Maria nuper dignata est, in celeberrima apparitione, nostram excitare fiduciam, exhibendo nobis, ut armaturam fortium et instrumentum proximæ victoriæ, sanctissimum rosarium, quod visa est in brachio suspensum gestare. Quo igitur melius quam antea prælia Domini præliemur, commendemus nos frequenter Reginæ nostræ. Plus nobis valebit Maria quam omnes castrorum acies ordinatæ. Ipsa nobiscum laborabit, præliabitur et vincet.

III. *Rosarium est opus sacerdoti valde proficuum.*

Haud dubie rosarii recitatio omnibus fidelibus maxima conferre solet emolumenta ; sed sacerdos, cum pro dignitate sublimiori et pro copia luminum majori, censeatur hanc precationem sanctissimam inviolabilius, ferventius et devotius fundere, longe majora et altioris ordinis emolu-

menta ex ea percipere assuevit. Potest enim, si voluerit, totam suam vitam sacerdotalem ad rosarii recitationem referre.

Omnia, ex quibus constat vita boni sacerdotis, sunt vel *læta*, vel *tristia*, vel etiam plus minusve *gloriosa*. Quam utile igitur foret sacerdoti quamque jucundum, si, dum digitis volvit globulos rosarii, sua *gaudia*, suas *molestias* atque *res* suas *prosperas* suaviter conjungeret iis quæ similia habuit Maria in vita sua mortali!

Sufficiet indigitasse praxim, in exempli gratiam pro mysteriis *gloriosis*.

Quænam fuerunt Mariæ jucunditates?

1° Exsultavit vehementer propter Filii sui resurrectionem. — Sic sacerdos gaudeat de resurrectione filiorum suorum, quos zelo suo e peccati sepulcro suscitavit.

2° Exsultavit Maria propter admirabilem Filii sui ascensum in cœlum. — Gaudebit sacerdos et exsultabit vehementer, in memoriam revocando quæ promisit Deus diligentibus se in æternum gustanda.

3° Exsultavit Maria propter jucundissimum Spiritus sancti adventum, et propter ingentia bona quæ ex hoc adventu sibi, apostolis et toti mundo effluxerunt. — Ita sacerdos vivat ut puritate vitæ obtineat affatim consolationes Spiritus sancti, et cum veritate exclamare valeat : « Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum!

Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. »

4° Exsultavit Maria propter suam assumptionem in cœlum. Profecto, o Maria, dum ingrediebaris domum æternarum voluptatum, ardentius quam unquam et ineffabili cum gaudio exclamasti : « Magnificat anima mea Dominum, et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo ! » — O sacerdos, et tu aliquando ascendes in cœlum gloriosus. Nunc libenter labora, libenter patere mala, libenter sustine opprobria : hæc omnia transibunt cito ; manebit autem in æternum gloria tua, felicitas tua.

5° Exsultavit Maria videns se super choros angelorum exaltatam, et capiti suo impositam coronam stellarum duodecim. — Et tu, sacerdos, conare, dum vivis, ita te humiliare ut merearis exaltari super alios in cœlo ; et ita nunc exerce te in omni virtute sacerdotali, ut et tu in fronte gestare gaudeas coronam splendidissimam, quæ tibi in gloriam sit æternam. Amen.

EXAMEN.

Circa modum se habendi in variis locis.

Pro examine speciali juvat assumere *varia loca* in quibus contingit sacerdotes versari, ut est *cubiculum*, *refectorium*, *templum*, *platea*, *rheda publica*, *domus laicorum*.

I. *Cubiculum.*

1° An *amo* cubiculum meum?

2° An illud frequento *sufficienter* et *debito tempore?*

3° An in eo splendet *mundities* et *ordo*, *aurea mediocritas* in supellectili?

4° *Quomodo* in eo me habeo? An ut S. Franciscus Salesius, *modeste*, *decenter*, propter angelum custodem?

5° An vident me parietes cubiculi decumbentem et surgentem *hora statuta*, *modeste et pie?*

6° Quomodo in eo *oro?* An non quærens situm commodiorem?

7° Quomodo in eo *studeo*, *laboro*, præparo concionem?

8° An mea cellula mihi paradisus est, ut erat domus Nazarethana?

II. *Refectorium.*

1° An non videor plus amare refectorium quam cubiculum, quam ipsam ecclesiam?

2° Quomodo soleo me habere, dum recito benedictionem et gratias?

3° An non effusus videor in cibos?

4° An non manduco *citius*, *copiosius?*

5° Qualis sum quoad *potum?* An non *avidius* bibo?

6° An servo temperantiam?

7° An recordor mortificationis?

8° An prudens sum sermone coram inservientibus?

III. *Templum.*

1° An soleo ingredi templum *animo recollecto?*

2° An dum transeo per templum non curiosius circumspicio?

3° An facio genuflexionem coram Sanctissimo debito modo, non præcipitanter, non leviter?

4° Quomodo soleo me in templo, coram populo, signare signo crucis? An cum dignitate?

5° Quomodo me teneo in altari vel in choro? An tamquam angelus sum mea gravitate, mea modestia, mea pietate?

6° An sum ædificationi omnibus me aspicientibus?

IV. *Platea.*

1° An non incedo citius?

2° An ubique me ostendo sacerdotem?

3° An non curiosius et imprudenter consisto, ad aspiciendum quæ exposita sunt publice?

4° An non mirationem excito mulieribus occurrentibus, propter meum modum eas aspiciendi?

5° An non inter frequentem populum altius et imprudentius loquor?

V. *Rheda publica.*

1° An soleo me commendare Deo, B. M. Virgini et Angelo, initio itineris?

2° An tempore itineris occupor utiliter,

vel orando, vel legendo, vel res peragendas mente ordinando ?

3° An non facilius instituo colloquia cum ignotis ?

4° An prudens sum aspectu, tactu et sermone relate ad sexum femineum ?

VI. *Domus laicorum.*

1° An non instituo sine utilitate visitationes ? An non nimias aut nimium protractas ?

2° An non protraho plus æquo colloquia ?

3° An vito visitare domum ubi periculum est ne sim solus cum sola ?

4° An non facilius prandium accipio apud laicos ?

RECOLLECTIO XVII.

MEDITATIO.

De terra.

1. Præl. Audiamus S. Ignatium exclamantem : « Quam sordet mihi tellus, dum cœlum suspicio ! »

2. Præl. Petamus gratiam ita contemplandi terram, ut ex ea contemplatione colligamus uberrimos fructus ad reformandam vitam nostram.

Quid est *terra* nobis, eam aspicientibus non oculo carneo, sed oculo supernaturali ?

I^um^ PUNCTUM. — **Terra est scala ad Deum.**

Terra est *creatura Dei*, in qua elucent admirabiliter attributa Creatoris. Est *liber* cunctorum oculis apertus, in quo lucidissimis litteris scripta leguntur Dei *bonitas.... sapientia ... potentia ... pulchritudo.* Est *scala*, divinitus erecta, per quam homo, angelorum more, ascendere valeat, si voluerit, usque ad contemplandum Creatorem.

In hoc libro delectabiliter legere solebant Sancti; per hanc scalam amœne

assueverant ascendere. Invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, conspiciebant. Verissime experiebantur quod dixerat Apostolus: « Diligentibus Deum *omnia* cooperantur in bonum. »

Assuescamus et nos ita res creatas contemplari ut per eas rapiamur in amorem Creatoris.

II^um^ PUNCTUM. — **Terra est exsilium.**

Patria nostra cœlum est, terra autem locus est exsilii.

Hinc gemitus Psalmistæ : « Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est ! » Hinc gemitus S. Ignatii : « Quam sordet mihi tellus, dum cœlum suspicio ! »

Stultitia esset velle *diu* commorari in hoc exsilio, in hac lacrymarum valle, in hoc loco laborum et ærumnarum. Intelligo, o mi JESU, quare dixeris *beatos esse qui lugeant*, qui scilicet, videndo hujus vitæ mala, toto desiderio anhelent ad vitam meliorem.

Sapientia est identidem attenta mente considerare quot quantisque miseriis impleatur mundus, ut gaudenti animo

mortem accipiamus. Hocce quidem modo *corde* moriemur mundo, antequam mundum *corporaliter* relinquamus; *beatos* autem proclamavit S. Joannes *mortuos* qui in Domino moriantur.

III^um^ PUNCTUM. — **Terra est locus multarum deceptionum.**

Quot et ipsi sacerdotes miserabiliter in ea decepti fuerunt! Experiebantur in se insatiabile desiderium felicitatis eam igitur sibi comparare voluerunt. Extenderunt manus ad *divitias*, sed ab iis felicitatem non perceperunt. Extenderunt manus ad *honores* et dignitates, neque ab his felicitatem percipere potuere. Extenderunt manus ad *oblectamenta carnis*, at pro felicitate invenerunt summam miseriam.

Quid inde concludendum? *Orandum* esse et *vigilandum*, ne intremus in tentationem.

IV^um^ PUNCTUM. — **Terra est via ad patriam.**

Viatoris est sibi in primis persuasum habere, minime in via consistendum esse, neque esse in via moras facien-

das, si velit certo pervenire ad patriam.

Sapiens viator patienter sustinet itineris laborem ; libenter subit fatigationem, neque dolet quod debet se non paucis rebus privare ; sperat enim se modo pro sacrificiis ultro oblatis accepturum compensationem, si ad patriam pervenerit. Tandem summopere cavet, ne occurrentibus spectaculis amœnis detineatur in via, vel a recta via abducatur, cum periculo amittendi tempus pretiosissimum.

Patria nostra cœlum est ; ibi est vera nostra familia, ibi sunt thesauri nostri. Vita ad hanc patriam *via* est. Proinde in via non licet consistere vel facere moras per varia et inutilia desideria, neque excurrere ad satisfaciendum nostræ curiositati, aut permittere ut quocumque delectamento a recta via deducamur ; sed continue properandum est eo, ubi nos manent verum gaudium veraque felicitas. Patriam cogitemus ; patriæ anhelemus ; ad patriam totis conatibus appropinquare contendamus.

V^um^ PUNCTUM. – **Terra est locus negotiationis.**

Homo in terra similis esse debet homini negotiatori quærenti bonas margaritas, qui, inventa una pretiosa margarita, omnia vendit quæ habet, ut eam sibi comparare valeat.

Margarita hæc pretiosa est regnum cœlorum. Regnum cœlorum volumus nobis comparare, et per *hanc vitam* illud nobis comparandum est, dicente Rege nostro : « Negotiamini dum venio. » Veniet autem in *fine* vitæ ; at cum ignoremus quo die quave hora venturus sit, prudentia exigit ut ita negotiationem promoveamus, ut *singulis momentis* divinum nostrum Venditorem intrepido animo liceat excipere. Ipse de hac prudentia nos monitos voluit, dicens non semel : « Estote parati. »

Si hoc momento mea negotiatio finem accipere deberet, an certo certius confidere possem, me per vitam quam duxi acquisivisse regnum cœlorum ?

Utinam semper ante oculos habeam hanc veritatem : me *semel* tantum

vivere ;... vitam meam esse *brevem* et *incertam* ;... et tamen ab ea pendere meam sortem æternam!

CONSIDERATIO.

De otio fugiendo.

Non licet sacerdoti domi otiari, quia nihil sacerdoti turpius est otio, nihil perniciosius.

S. Bernardus otiosum non immerito *insipientem* appellat, eo quod otiando sibi ipsi maximum damnum infert. Otiosus enim *perdit tempus*, quod ab arbitrio nostro nullatenus dependet, cum tempora et momenta Pater cœlestis in sua solius potestate posuerit. Tempus est donum mere gratuitum, donum pretiosissimum et inæstimabile,quod, juxta effatum ejusdem S. Bernardi, tantum valet quantum Deus. Est autem tempus *breve nec revocabile* unquam, *nec compensabile ;* velocius enim sagitta, velocius omni cogitatione transvolat, neque ullum vestigium relinquit.

Otiosus *perdit omnia bona*,quæ per rectum usum temporis obtinere potuisset et debuisset, et quidem non terrena, sed longe altioris ordinis bona, qualia sunt gratiæ et cœlestis gloriæ augmentum. Etenim certum est, nos per quodlibet momentum bene impensum, novum gratiæ et gloriæ cœlestis gradum, et proinde per longius tempus immensos

gloriæ thesauros pro altera vita posse promereri. Idcirco recte S. Hieronymus dicit: « Minima temporis particula est *pretium æternitatis*, quia per hujus bonum usum cœlestia, æterna bona, quæ possessionem ipsius Dei, summi et infiniti Boni, comprehendunt, emere possumus. »

Hinc sequitur, o sacerdos, perdere te tot merita, tot coronas cœlestes, tot gradus gloriæ, *quot tempuscula* perdis ; immo facile te perdere posse, si otiari pergas, spem cœli unquam obtinendi, quoniam, ut dicit S. Prosper, non otiosis aut dormientibus provenit regnum cœlorum... Quanta hæc jactura ! quantum damnum !

Præterea nullus est qui nesciat otiositatem esse rem plenam *periculis*.

« Otiositas, ait S. Bonaventura, est sentina omnium vitiorum. » Sanctus vero Thomas : « Est otium vitiorum carnalium incentivum. Et merito assimilatur otiositas *stagno ;* quia sicut stagnum abundantiam nutrit piscium, sic otiositas multitudinem cogitationum. » « Omnium tentationum, dicit S. Bernardus, et cogitationum malarum colluvies est otium ; malorum omnium sentina, mors animæ. »

Notissima sunt quæ sub nomine sancti Augustini leguntur de hac re in Sermone XVII *Ad fratres in eremo :* « Quamdiu David exercitavit se in militia, non insultavit ipsi luxuria ; sed postquam in domo

otiosus remansit, laboravit adulterio et homicidium commisit. Samson, dum cum Philistæis pugnavit, non potuit capi ab hostibus ; sed postquam dormivit in sinu feminæ et otiose cum ea remansit, mox capitur et cæcatur ab hostibus. Salomon, dum occupatus esset in ædificatione templi, non sensit luxuriam ; sed mox recedens ab opere, persensit insultum luxuriæ, et deficiens femina instigante, ad idola, adoravit vitulum aureum. Vigilate, ergo, Fratres mei, vigilate et nolite in otio deficere, quia nec sanctiores David, nec fortiores Samsone, nec sapientiores Salomone vos esse cognosco. »

Quis autem sacerdos dicendus est *otiosus ?*

1° Otiosus est ille, qui plus æquo indulget somno.

2° Qui adeo lecto afficitur ut, non semel et casu, sed frequenter et de industria e lecto ad altare tendat, sine oratione, sine meditatione, sine ulla præparatione.

3° Qui laboris pertæsus domum suam frequenter deserit, inutiliter excurrit, inutilesque instituit apud laicos visitationes.

4° Qui quotidie plures terit horas confabulando, recreationemve protrahendo aut ludendo, officiis sui muneris vel omissis, vel dilatis, vel perfunctorie peractis.

5° Qui laborans passione ephemeridum,

præcipuam assuevit habere occupationem, legere folia publica et alias elucubrationes transitorias et leves, neglecto studio rerum vere sacerdotalium.

6° Qui nugis fere integros dies impendit, vel in iis occupatur laboribus, qui nullam habent connexionem cum sacerdotali dignitate. Labores quidem manuales legitimi sunt, utiles esse possunt, immo et aliquando necessarii ad valetudinem servandam, sed oportet ut pro recreatione assumantur et moderate, minime ut occupatio principalis et quasi continua.

7° Qui operibus quæ exsequitur tam parum applicat mentem, ut ad alia potius omnia eam evagari pro libitu sinat.

Cavebo, o mi Deus, ab otio, semper malo in omni homine, sed in sacerdote turpissimo. Cavebo, cum tua gratia, ne minima particula temporis vacua transeat.

EXAMEN.

Circa affectus cordis.

Omnes cordis affectus reducere possumus ad *amorem* et *odium*. Utile est sacerdoti circa hos duos affectus identidem se examinare, ut jam nihil in corde nostro inveniatur quod merito reprehendat conscientia.

I. *Amor.*

1° *Quos* amo? An amo vere Deum?...

Ecclesiam ?... Parentes ? ... Superiores ?... Confratres ?... Subditos ?... Pauperes et miseros ?... Inimicos ?

2° *Quomodo* amo ? An sincere ? An constanter ? An toto homine, i. e. *mente*, nullam nutriendo cogitationem malevolam aut adversam ; *corde*, desiderando eorum quos amo felicitatem ; *ore*, verbis affectus exprimendo tempore opportuno ; *manu*, factis probando amorem ?

3° *Quare* amo ? An propter motiva supernaturalia, propter Deum ? An gratis ?

4° An cum sacerdotibus et aliis servo unitatem in vinculo pacis, et ante omnia mutuam caritatem cum iis continuam habeo ?

5° An alterius onera porto, et sic adimpleo legem Christi ?

6° An conor uniformitatem in praxi conservare cum collegis ? An ab ipsis libenter peto et excipio monita et consilia ?

7° An pro pietate nutrienda, pro caritate fovenda, pro uniformitate conservanda, omni ope contendo ut *conferentiæ spirituales* vigeant ?

II. *Odium.*

Multiplici modo se prodere potest odium : 1° Interius, scilicet malevolentia, rancore, memoria injuriæ, appetitu vindictæ, invidia. 2° Exterius, nempe aspectu, sermone, actione, omissione.

1° An erga nullum laboro malevolentia? An non nutrio rancorem erga aliquem? An non apud me manet alta mente recondita injuria accepta? An non quæro occasionem exercendi vindictam erga inimicum? An non videor invidere fratrum felicitati?

2° An non torvo oculo soleo aliquem aspicere? An a detractione removeo linguam meam? An non inconsiderate loquor, ita ut bonam sacerdotum famam, ac populi in illis fiduciam minuam, cum maximo forsan animarum damno? An non me immisceo rebus alterius parochiæ, aut exosam crisim exerceo, quia alter multa ex vero zelo facit, quæ ego ex ignavia non facio? An non ea facio, ex quibus intelligere est me erga aliquem gerere animum offensum? An non detrecto caritatis officia præstare iis quos habeo ut æmulos, ut adversarios?

O mi JESU, qui toties et tanta vi commendasti discipulis tuis dilectionem, da mihi gratiam ita respondendi desiderio tuo, ut deinceps appaream inter homines ut angelus caritatis. Amen.

RECOLLECTIO XVIII.

MEDITATIO.

De purgatorio.

1. Præl. Mente videamus longitudinem, latitudinem, profunditatem purgatorii.

2. Præl. Petamus a Deo gratiam intime sentiendi pœnas quas patiuntur animæ justæ, ut, si *ex amore Dei* non fugiamus peccata venialia, aut pro reliquiis mortalium non satisfaciamus, id saltem præstemus *timore purgatorii*.

Oculis pii sacerdotis purgatorium est *locus tormentorum*, simul et *schola virtutum*.

Iᵘᵐ Punctum. — Purgatorium locus tormentorum.

Pius sacerdos, ante omnia, firmiter credit ea quæ Ecclesia de purgatorio asseruit, quæque credenda definivit. Duo autem definivit Ecclesia credenda, scilicet : *esse purgatorium*, seu statum in quo anima, quæ cum se separaret a suo corpore, erat in gratia Dei, purificat se, subeundo pœnas quas post remissionem culpæ subire tenebatur et

quas nondum subierat, vel satisfaciendo pro peccatis venialibus quæ, dum vivebat in terris, commisit ; deinde *posse* animas in purgatorio degentes, *adjuvari suffragiis* fidelium.

Firmiter deinde adhæret communi sententiæ Doctorum quoad purgatorii *naturam*, et quoad *pœnas* quas animæ in purgatorio patiuntur.

Quoad *naturam* purgatorii tenet purgatorium esse *privationem Dei*, summe dilecti, ad quem anima, corpore soluta, toto impetu fertur pro mensura caritatis, — *carcerem* tenebricosum et arctum, in quo animæ nonnullæ ad *diuturnum* et *incertum* tempus detinentur; — *ignem*, si non eumdem, saltem similem ei, qui dæmones et damnatos torquet, *miris* utique sed *veris* modis.

Quoad *pœnas*, quas patiuntur animæ justæ, tenet cum S Augustino « graviorem esse ignem purgatorii quam quidquid possit homo pati in hac vita (*Super psalm.* XXXVII); et nostis, addit statim S. Doctor, quanta hic passi sunt mali... et boni. Quid enim quisque maleficus pertulit legibus quod non per-

tulit Martyr in confessione Christi ? Ista ergo quæ hic sunt mala, multo faciliora sunt. » — Tenet cum S. Gregorio Magno « illum transitorium ignem omni tribulatione præsenti intolerabiliorem « (*Super psalm. pœnit.* III) ; — tenet cum ven. Beda, cum S. Bernardo, cum S. Anselmo et cum aliis multis, « nulla esse supplicia martyrum cum illis pœnis purgatorii conferenda. »

Ad melius intelligendam magnitudinem cruciatuum, quibus subjacent animæ purgandæ, considerat pius sacerdos quid senserint Sancti de malitia peccati venialis Non ignorat S. Eusebium per quadraginta annos deflevisse distractionem, quam admiserat inter orandum. — Non ignorat S. Anselmum scripsisse « se, si optio daretur, libentius commoraturum in inferno per totam æternitatem, quam committere voluntarie vel unum peccatum veniale. » — Non ignorat unanimi voce docuisse theologos, peccatum veniale majus esse malum quam omnia mala hujus mundi. Hic merito concludit, peccata venialia in regno justitiæ punienda esse pœnis

quæ longe superant acerbitate omnes pœnas vitæ præsentis.

Hinc timor enascitur salutaris ; hinc sincera peccatorum detestatio ; hinc firmum propositum vitandi vel minima peccata.

Nos identidem spiritu descendamus in hunc tormentorum locum. *Videamus* quodammodo oculis mentis *carcerem* illum *igneum*, in quo patiuntur animæ, non malæ, sed justæ, vel ob peccata venialia non deleta, vel ob neglectam pœnitentiam. *Audiamus* animas clamantes ad nos : « Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos, amici mei, quia manus Domini tetigit me » (Job, XIX, 21) ; ad Deum vero : « Justus es, Domine, et rectum judicium tuum » (Ps. CXVIII, 137) ; « Quando veniam et apparebo ante faciem Dei ! » (Ps. XLI, 3) ; « Heu mihi ! quia incolatus meus *in hoc carcere* prolongatus est » (Ps. CXIX, 5). *Gustemus* gemitus et lacrymas ob *privationem* Dei, quæ quidem pœna tanta est, ut nulla lingua eam verbis æquare valeat. *Tangamus* manu acerbissimas illas flammas quibus immersas

conspicimus animas. O Domine, in hac vita talem me redde, cui jam emendatorio igne non opus sit.

IIum Punctum. — Purgatorium schola virtutum.

Supponamus aliquem sacerdotem hic et nunc cruciari in purgatorio. Eum interrogemus ac docili animo respondentem audiamus.

1° Quid putas nunc, o sacerdos, de *divitiis*, de *honoribus*, de *delectamentis* vitæ? — Puto hæc omnia esse vanitatem vanitatum et afflictionem spiritus. Quia nimium eis adhæsi, crucior in hac flamma.

2° Quid putas de *rebus adversis*, de *opprobriis*, de *ærumnis?* — Puto hæc esse *dona* Dei pretiosissima, optimam rationem *probandi* suum erga Deum *amorem*, *fontem* multorum *meritorum*, et signum *prædestinationis*. Quia ab eis nimium abhorrui eaque impatienter tuli, vehementer crucior in hac flamma.

3° Quid putas de *exercitiis spiritualibus* et de *operibus pietatis?* — Puto ea sacerdoti esse summopere necessaria,

atque illi suppeditare multiplicia subsidia ad ducendam vitam vere sacerdotalem. Quia solitus eram eis tepide vacare, eaque non raro decurtavi et sine ratione omisi, multum crucior in hac flamma.

4° Quid putas de *mortificatione* et de operibus *pœnitentiæ ?* — Puto stulte agere sacerdotem, qui talia media sanctitatis parvifaciens negligit. Incredibile est quantam promereatur gloriam corporis afflictio, gulæ mortificatio, frequens jejunium, usus cilicii et catenularum, et alia genera pœnitentiæ quæ usui sunt sanctis. Utinam generosius iis usus fuissem ; non adeo cruciarer in hac flamma !

5° Quid putas de operibus *misericordiæ?* — Puto hæc bono sacerdoti esse debere in summo pretio, cum per ea certius consecuturus sit misericordiam Dei. Quia erga *pauperes* parcior fui, quia non compassus sum sufficienter *miseris*, quia *infirmos* neglexi visitare, quia *parvulorum* et *rudium* eruditionem non satis promovi, valde crucior et diu cruciabor in hac flamma.

6° Quid putas de operibus *zeli?* — Puto nihil debere esse sacerdoti gratius et acceptius ; nam zelando gloriam Dei et salutem animarum, cooperit multitudinem peccatorum, comparat sibi messem copiosissimam fructuum, qui in æternum permaneant, et viam sibi sternit ad gloriam. Quia fui in ministerio sacro piger, potenter nunc stimulor aculeis flammæ in qua crucior.

7° Quid putas de *amicitiis humanis?* — Puto eas esse sacerdoti quam maxime nocivas, præsertim si sensuales sint aut carnales. Quot sacerdotes hic torquentur propter nimiam affectionem erga sexum femineum et propter imprudentem familiaritatem ! Utinam Jesum semper dilexissem super omnia et omnes in Jesu !

8° Quid nobis sacerdotibus præcipue vitandum arbitraris ? — Quisquis es, o sacerdos, vita sedulo omnem tepiditatem,...sensualitatem,...duritiem erga subditos,... negligentiam in fungendo munere,... irreverentiam in altari et in sacramentorum administratione ; talia

enim multos ad purgatorium ducunt sacerdotes.

Narratur nequam aliquis, qui ad quinquaginta annos fuerat ad metalla damnatus, obtinuisse a rege clementissimo ut per decem dies inter suos maneret ad res familiæ componendas, ea autem conditione ut, si per hoc temporis intervallum contigisset alapas accipere, easque patienti animo pertulisset, unaquæque alapa haberetur pro uno anno carceris. Nonne merito creditur hic homo alapas magni fecisse, et ardenter desiderasse ut acciperet quam plurimas? Quinquaginta enim acceptis, jam ipsi non aperiri debebat carcer durissimus. Obvia est applicatio. Ecce duplex nobis offertur purgatorium, unum *præsentis* alterum *ulterioris vitæ*: hoc illo multo acerbius, intolerabilius. Purgatorium præsentis vitæ est omnis labor, omnis ærumna, omnis adversitas; est morbus, fatigatio, humiliatio, persecutio, ipsa tentatio. Hæc omnia discamus *tranquillo animo sustinere*, et purgatorium subibimus. Quod si addentur voluntariæ pœnitentiæ, si eleemosynæ, si multipli

ces actus misericordiæ, si indulgentiarum acquisitio quotidiana, sane spes est nos habituros talem exitum vitæ, ut sine purgatorio ad cœlum evolare valeamus. Amen.

CONSIDERATIO.

De labore sacerdotali.

Circa laborem sacerdotalem duo juvabit inquirere : *quare* nimirum et *quomodo* teneatur sacerdos laborare.

Tenetur sacerdos laborare :

1° Propter *vocationem*. Etenim vocationis vi tenetur sacerdos vividissime inter homines repræsentare Deum, cujus legatus est, cujus auctoritatem exercet, cujus attributa pro modulo debet exprimere. Atqui « Pater meus, dicit JESUS, usque modo operatur, et ego operor. » (Joan., V, 17.)

Deus operatur incessanter in cœlo sua bonitate, in inferno sua justitia, in terris sua providentia, dans *esse*, *vegetare*, *sentire*, ac *intelligere;* conferens fecunditatem,vitam et pulchritudinem ; omnibus quæ fiunt præbens continuum concursum.

Jesus autem operatur in sua Ecclesia, omnes adjuvans, illuminans, docens, excitans, consolans admirabili sollicitudine, intercedens pro nobis apud Patrem, præparans nobis locum in cœlo, fungens officio

judicis post mortem nostram. Et dum in terris visibilis commorabatur, nonne laborans apparuit in domo Nazarethana?

2° Propter *legem divinæ Providentiæ.* Creavit Deus hominem ad laborandum, ut avem ad volandum creavit. Absque labore homo pacem habere non potest. Sine labore non potest intellectum nutrire, formare voluntatem, aut scientiam acquirere. Eadem lex est in ordine supernaturali. Pro justificatione nostra, pro nostra sanctificatione, Deus requirit cooperationem nostram. Ut acquiram virtutem, ac merita augeam, necesse est ut laborem. Nonne reprobatur servus qui abscondit talentum?

3° Propter *officium sacerdotale.*

Sacerdos est *servus Dei ;* quis servus eximitur a labore?

Sacerdos est *pastor* populi ; atqui pastoris est oves ducere in pascua, eis invigilare, languidos curare, errantes ad ovile reducere. Hæc autem fieri non possunt absque labore.

Sacerdos est *doctor ;* ut talis debet instruere Israel. Omnibus debet ostendere viam ad cœlum, et eo ducere rudes et doctos, fortes et imbecilles, pauperes et divites. Neque illud fieri potest absque labore.

Sacerdos est *dispensator* mysteriorum Dei, ac proin debet animas introducere in Ecclesiam, eas nutrire sancta Eucharistia,

sanare per pœnitentiam, communire viatico animas proficiscentes in domum suæ æternitatis, benedicere nascentes familias, omnibus impertiri abundantiam.

Sacerdos est *operarius*, vocatus in messem Patrisfamilias. Messis quidem multa, operarii autem pauci : non potest igitur messor fungi officio suo sine labore.

4° Propter *utilitatem.* Laboranti autem sacerdoti labor est medium sua peccata expiandi, augendi merita in horas, augendi gloriam suam pro æternitate. Labor ei est fons sanctitatis et remedium ad fugienda mala, quibus obruitur piger et otiosus. Uno verbo, labor sacerdoti suppeditat unde vivat jucunde, sancte, fructuose, omnibus gratus, Deo amabilis.

EXAMEN.

Circa usum voluntatis.

Est voluntas hominis vel *mala* vel *bona.*

Si mala, varios habere potest gradus *malitiæ ;* si bona, varios gradus *bonitatis.*

I. *Voluntas mala.*

Mala est quæ tendit in malum, vel quæ licet in bonum tendat, tamen multiplici defectu laborat.

1° An nunquam pleno consensu me inclino in peccatum mortale ?... in peccatum veniale ?... in transgressionem statutorum ab auctoritate legitima ?... in omissionem

eorum quæ pertinent ad officium mihi demandatum ?

2° An mihi inclinanti me in bonum, non deest *puritas* et *rectitudo* in *intentione*, *prudentia* in electione mediorum, *vis* in agendo, in conando *constantia ?*

3° An, quod pejus est, non sum inter illos numerandus qui dicunt se *velle* nihilque tamen peragunt ? An proinde non sum similis militi qui pingitur in tabella, gladio minitans hosti, quin unquam conspiciatur hostem ferire ?

4° An non sum inter illos qui multa promittunt, at nunquam stant promissis ?

5° An non sum inter illos qui faciunt quidem quod facere volunt, sed tarde, lente et fere semper ultimo momento, quique indigent continuo stimulo ut accingant se ad agendum ?

II. *Voluntas bona.*

Tali voluntate præditus creditur homo, qui *prudenter* eligit objectum suæ voluntatis ; qui *prompte* se accingit ad opus, quo sperat se obtenturum quod vult ; qui *fortiter* amovet impedimenta quæ occurrunt ; qui, vel inter difficultates, *constanter* pergit conando, usquedum pervenerit ad id quod intendebat. Proinde

1° An id soleo velle in quo nihil deprehendatur reprehensibile, ita ut *conscientia* probet quod intendit voluntas ?

2° An ad rem quam statui mihi comparare, accingo me sine cunctatione, agendo primo quo possum tempore?

3° An forti animo et imperterrita mente luctor adversus occurrentes difficultates, non ante quiescendo quam eas superavi?

4° An nihil soleo aggredi quod non perficiam?

O Domine, qui dixisti per angelos tuos : Pax hominibus *bonæ voluntatis*, da mihi bonam hanc voluntatem, ut perpetua frui pace valeam !

RECOLLECTIO XIX.

MEDITATIO.

De mysterio nativitatis D. N. J. C.

1. Præl. Videamus visu imaginationis speluncam Nativitatis.

2. Præl. Petamus a Patre æterno gratiam perfecte cognoscendi dilectum Filium suum, pro nobis natum, ut eum ardenter diligamus, eumque cum amore per omnia imitemur.

Sicut passio Domini, ita ejus nativitas nunquam melius, intimius, fecundius intelligitur, quam si eam *in ipsius corde* contemplati fuerimus. Quod ut præstare valeamus, necesse est ut quodammodo per *sensus* Jesu usque ad ipsius cor perveniamus. Consideremus igitur quid divinus Puer, jacens in præsepio, *sentiat in suo corde, videndo* quæ videt, *audiendo* quæ audit, quidque *nobis*, ex iis quæ in stabulo videntur et audiuntur, concludendum sit.

I^um^ Punctum. — **Quid sentit JESUS, videndo quæ videt?**

Dum jacet Jesus in præsepio recens natus, candidissimis oculis cuncta circa

se conspiciens, quid videt? Videt stabulum,... bovem et asinum,... Mariam et Joseph,... pastores et magos... Videt me, me pauperculum, me servulum indignum. Hæc omnia dum videt, quid sentit in corde ?

1° Videns *stabulum* sordidum, ventis pervium, neglectum, animalibus, non hominibus destinatum ; videns simul et *præsepium*, et rarum stramen, et pannos quibus involvit eum benedicta Mater ; una ex parte *dolet* quod, cum « in propria venit, sui eum non receperunt ; » quod, cum præberet Bethlehemitis egregiam occasionem accipiendi ingentes gratias pro momentaneo diversorio quod ab ipsis petebat, transmiserunt imprudentes hanc occasionem, cum duritie rejicientes pauperem ipsius familiam, ex longo itinere fatigatam, et humili prece postulantem locum quietis adeo tunc necessarium. Altera ex parte *gaudet* quod, nascendo in summa egestate, consolatus est pauperes omnes et miseros atque afflictos ; et quod docuit mundum, maximum esse errorem, considerare paupertatem ut *malum*...

Gaudet etiam quod, patiendo privationem omnium rerum, probavit suum erga nos amorem, et sic etiam stravit *viam ad perfectionem*, postea dicturus : « Si vis perfectus esse, vade et vende quæ habes,... et veni, sequere me.» (Matth., XIX, 21.)

2° Videns *bovem* et *asinum*, *tristatur* cogitans, non raro animantia, ratione expertia, majorem exhibere gratitudinem erga benefactorem suum, quam homines erga Deum. Dixerat enim per Isaiam : « Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui ; Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit. » (I, 3.) *Dolet* quod ab initio mundi homo, innumeris cumulatus beneficiis, Deum suum neglexit, eum blasphemavit, eum contempsit. Utinam lenire possit hunc dolorem prævisio majoris gratitudinis quam, post ineffabile beneficium Redemptionis, homines sint exhibituri; sed proh dolor ! præscit multos fore suæ infinitæ bonitatis immemores usque ad finem sæculorum.

3° Videns *Mariam* et *Joseph*, *ingenti*

erga eos *flagrat amore*. Novit enim quanta cum generositate se totos sibi devoverint, et quam sincere ipsius sortem amplexi sint, parati cum divino Puero suo vitam ducere pauperrimam, laboriosam, ærumnis plenam. Novit illorum puritatem, caritatem, patientiam, pietatem qua major, qua sublimior excogitari non potest. Utinam nos inveniat in his aliquantulum Mariæ et Joseph similes, ut singulari etiam nos amore prosequi merito possit!

4° Videns *pastores*, modo suo simplici Salvatorem suum adorantes, *gestit summa lætitia;* simplicitatem enim amat, et cum simplicibus sermocinatio ejus. Propterea sanctis obtutibus eorum fidem remuneratur, et stimulat animi dispositionem, qua monitis angelorum tam prompte obtemperaverunt. *Gaudet* divinus Puer, dum videt pastores familiariter conversantes cum Maria et Joseph. *Gaudet* etiam de *munusculis* quæ attulerunt, ut ipsi quidpiam offerrent; *munuscula* dico, *munera* enim offerre non potuerunt, pauperes cum sint; sed offerunt illi qui postea, videns viduam

pauperem, jacientem duo minuta in gazophylacium, dicturus erat : « Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper *plus omnibus* misit, qui miserunt in gazophylacium. » (Marc., XII, 43.)

5° Videns magos, ante præsepium humiliter prostratos, *diffluit gaudio*, sciens eos esse primitias gentium. Si enim Ecclesia sponsa, præcinente propheta, in præsentia regum Arabiæ et Tharsis, exsultatura sit propter vocationem gentilium, quid ipse Sponsus ? Videbit et affluet, mirabitur et dilatabitur cor ejus. Sed simul *tristatur* Cor JESU propter duritiem tot regum Israel et Juda, qui Deum suum tot ac tantis injuriis lacessere non cessarunt. *Tristatur* de duritie Herodis, qui ignarus non est divinæ promissionis.

6° Denique JESUS, videns *me*, quid sentit? Videt me forsan stantem coram suo præsepio frigidum, ignavum, torpentem, ægre ferentem injurias tempestatis, sordes stabuli, paupertatem et abjectionem Familiæ, cui volebam me exhibere servulum. Si taliter me dispositum videret, *doleret* sane quam

maxime, et mallet me potius abesse. Sin autem videat me alacrem, lætum, gaudentem de paupertate, de opprobriis, de vitæ incommodis ; si videat me familiariter agentem cum Patre suo nutritio, cum sua Matre benedicta ; si paratum videat omni obsequio amoris: *gaudebit* vehementer, benignis oculis me aspiciet, et divino suo aspectu me vere beatum faciet.

II um PUNCTUM. — **Quid sentit JESUS, audiendo quæ audit?**

1° Audiens *canticum* angelorum canentium : « Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis, » *lætatur* vehementer, quia cantico suo annuntiant angeli mundo *duplicem fructum* nativitatis, gloriam Deo in cœlo, pacem hominibus in terra.

2° Audiens *mugitum bovis et fremitum asini*, nullam inde concipit JESUS displicentiam ; agunt enim juxta naturam quam a Creatore acceperunt. E contrario maxime JESU *displicet* suavitas concentuum illorum quibus passionibus pessimis præbetur cibus et

fomentum. *Displicet* JESU suavita vocis eorum, qui sua eloquentia laudan non res *Dei*, sed *suas*. *Displicet* etiar JESU suavitas verborum, quibus qui proximo per hypocrisim adulatur.

3° Audiens *Mariam* dicentem: « Ecc ancilla Domini, » audiensque piissim *Joseph* suspiria, dulcissimas effund *lacrymas* præ *amore* et *lætitia*.

4° Audiens *pastores* se invicem ex hortantes: « Transeamus usque Bethle hem, et videamus hoc verbum, quo factum est, quod Dominus ostend nobis, » et postea cum Maria et cur Joseph familiariter confabulantes, humili prece suum Salvatorem adora tes, *gaudet* atque exsultat.

5° Audiens *magos* dicentes : « Ub est qui natus est Rex Judæorum ? V dimus enim stellam ipsius, et venimu adorare eum, » *gaudet* de eorum sanct audacia ; *gaudet* de fidelitate qua stell vocanti obediverunt ; *gaudet* de volu tate firmissima eorum, inveniendi adorandi Deum suum Salvatorem.

6° Audiens *Herodem* : « Ite et inte rogate diligenter de puero, et cur

inveneritis, renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum, » *tristatur* de crudelissimi regis hypocrisi, postea dicturus mundo quantopere hypocritas detestetur.

7° Quid sentit JESUS in corde suo, dum audit *me* orantem oscitanter,... subditos imperioso modo et cum ira alloquentem,... crisim de superiorum dictis et factis instituentem,... famam fratrum lædentem... vana, levia, scurrilia promentem ? An gaudet JESUS me audiens ? An forsan tristatur ?

III^um^ PUNCTUM. — **Quænam obsequia JESUS a nobis exspectat?**

Nos sacerdotes pro *præsepio* habemus *tabernaculum ;* convenit ergo, ut JESU in tabernaculo commoranti eadem amoris obsequia præstemus, quæ angelos, quæ pastores, quæ magos, quæ Mariam et Joseph JESU, in præsepio jacenti, præstitisse intelleximus.

1° Angeli maximo zelo notos facere gestiverunt mundo ingentes thesauros, quos invenire erat in humili stabulo ubi JESUS jacebat, et omnes quos pote-

rant, ut stabulum adirent, exhortabantur. Sic ego sacerdos mundo notos facere debeo admirabiles thesauros qui absconditi sunt in tabernaculo, et quot-quot possum ad hos thesauros capiendos frequenti exhortatione impellere.

2° *Pastores* se invicem exhortati sunt, ut accederent ad Divinum Puerum. Sic sacerdotes se invicem exhortentur, ut cordi habeant quæ pertinent ad Tabernaculum. De his frequenter inter se agere deberent, in conversatione, in colloquiis, in suis congressibus. Inter sacerdotes sit sancta æmulatio de promovendo honore Tabernaculi.

Deinde pastores ad pedes JESU attulerunt cum gaudio munuscula sua. Sic ego sacerdos quotidie lætanter, ad pedes JESU in Tabernaculo degentis, afferam sacerdotalia mea munuscula, nempe labores meos, dolores meos, mea gaudia, fructus apostolatus mei, immo et suspiria mea atque lacrymas. Profecto hæc mea munuscula benignissime excipiet JESUS.

3° *Magi*, ut obedirent stellæ, invitanti eos ad quærendum Messiam, minime

pepercerunt labori. Ut JESUM invenirent, iter susceperunt longum, laboriosum, plenum privationibus atque periculis. Evanescente autem ex oculis stella, minime desponderunt animos, sed in suscepto itinere perrexerunt, et sic invicto corde ad JESUM pervenerunt. O sane ipsis merces fuit magna nimis! Quanta cum lætitia obtulerunt JESU quidquid asportaverant pretiosum, aurum, thus et myrrham! En, o bone sacerdos, imago eorum quæ tibi præstanda sunt, ut invenias et tu JESUM in Tabernaculo. Ut consequaris *insignem* erga Tabernaculum pietatem, omnem move lapidem, non parcendo labori, non abjiciendo quidquid oneris exigetur. Noli permittere ut detinearis impedimento, sive ex parte hominis, sive ex parte diaboli. Perge in bene cœpto, intrepido pede, usquedum ad Cor JESU pervenias, et ibi deponere possis *aurum* eximiæ caritatis, *thus* ferventissimæ orationis, et *myrrham* generosæ mortificationis.

4° *Maria* et *Joseph* adhæserunt JESU plenissime, ipsius amplexi sortem,

paratique ire quocumque ipse iturus esset, etiam in exsilium usque. Pro JESU laboraverunt, pro JESU passi sunt maximas tribulationes; ipsius utilitati se totos devoverunt, absoluta sui ipsorum abnegatione ; optantes, si contingeret, pro ipsius causa sanguinem profundere, impendere vitam. O sacerdos, et tu similiter fac, et vives in æternum.

CONSIDERATIO.

De labore sacerdotali (2°).

Quomodo laborare debet sacerdos ?

Necesse est ut labor noster sit *labor* vere *sacerdotalis*. Talis autem erit, si fuerit 1° ordinatus ; 2° viribus par ; 3° intentione purus ; 4° diligens et humilis ; 5° usque ad finem perductus ; 6° conveniens officio.

1° *Labor sit ordinatus*. Nihil boni, nihil magni, nihil solidi exspectari potest ab homine qui non solet agere cum ordine. Propterea necesse est facere nobis *ordinem diurnum*, in quo distribuantur actiones *principales*, actiones *muneris* et actiones *liberæ*. Nobis etiam consilium datur faciendi mane *examen providentiæ*, prævidendo et notando quæ singulis diebus volumus absolvere. Si omnes sacerdotes uterentur *fideliter* ordine diurno et examine providentiæ,

multo feliciores forent, et labor eorum esset multo utilior.

2° *Labor sit viribus par.* Aliqui fruuntur bona valetudine, aliqui mediocri, aliqui laborant infirmitate; aliqui habent multa talenta ad talem vel talem laborem, aliqui pauciora. Ergo unusquisque videat quid humeri sui ferre valeant, quid recusent.

3° *Labor sit intentione purus.* Non laboramus nos tempori, sed æternitati. Ergo nullum suscipiat sacerdos laborem quem intentione non dirigat ad servitium Dei, ad salutem propriam et aliorum, ad faciendos dignos pœnitentiæ fructus, ad cumulanda merita. Sint sæpe in labiis ipsius hæc verba sanctorum: « Ad majorem Dei gloriam! Propter te, o mi JESU! Propter te, o sanctissima Trinitas! »

4° *Labor sit diligens et humilis.* In omni actione nostra conjungenda est *diligentia* summa cum profundissima *humilitate.* Ita diligenter rei peragendæ applicemus vires corporis et animæ facultates, quasi a nostra sola operatione penderet totus successus; et ex altera parte, ita confidamus Deo Deique concursui, quasi a solo Deo successus exspectandus esset. Uno verbo, humilitas nostra *diligens* sit, non *otiosa.*

5° *Ad finem usque perductus.* Nihil rarius constantia in bene cœptis. Hæc tamen labori sacerdotali deesse non potest. Verum

est hanc constantiam requirere a sacerdote frequentem sui victoriam et magnam animi fortitudinem. Sed quis novit melius quam sacerdos, Christum docuisse necessitatem abnegationis ?

6° *Labor conveniat officio. Omnibus autem sacerdotibus convenit studium scientiæ sacræ.* Studium eis omnino necessarium est. Etenim Deus constituit sacerdotem *custodem suæ doctrinæ.* Tenetur sacerdos docere tum pueros, tum eos qui jam sunt provecti ætate, et inter auditores habet nonnunquam viros aliquos qui optimo pollent judicio et apti sunt de doctoris scientia judicare.

Deus constituit sacerdotem *legis suæ interpretem.* Ipse debet notam facere Dei legem, genuinum ejus sensum ostendere, eamque variis casibus applicare qui in vita humana occurrunt. Sed quomodo explicabit hanc legem variisque casibus applicabit, si eam non optime noverit ? Jam vero eam cognoscere non potest, nisi ei frequenter et serio studuerit.

Deus constituit sacerdotem *custodem* et *dispensatorem* thesaurorum suorum per administrationem sacramentorum. Atqui dispensator fidelis cognoscere debet *bona* distribuenda, *intentionem* Domini sui, *personas* quibus distribuenda sunt, ac *modum* quem adhibere debet ut proficua sit distributio. Sed sine studio hæc omnia probe scire non potest sacerdos.

Nunquam oblivisci potest sacerdos quod legitur apud Malachiam (II, 7): « Labia sacerdotis custodient scientiam ; » apud Aggæum (II, 12) : « Interroga sacerdotes legem ; » apud Osee (IV, 6): « Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. »

Ex his merito concludamus, voluntatem Dei esse ut sacerdos *studeat doctrinæ divinæ*, *studeat divinæ legi*, et sic *acquirat scientiam divinam*. Hæc autem scientia quam utilis nobis, quam proficua proximo, quam accepta Deo !

EXAMEN.

Circa usum intellectus.

I. An *rite utor* intellectu? Ex fructu arbor agnoscitur ; fructus autem intellectus est ejus *operatio*, nimirum omnis *cogitatio*, omne *judicium*, omnis *interpretatio*, omnis *suspicio*.

1° An omnes meæ *cogitationes bonæ* sunt?

2° An *judicia* mea non *levia* sunt aut *temeraria ?*

3° An mea aliorum factorum aut dictorum *interpretatio* semper *benigna* est et juxta leges caritatis ?

4° An non *facilius* de aliis *suspicor* aliquid malum, vel etiam injustum ?

5° An scio firma voluntate cohibere intel-

lectum, ne extra limites vagetur, dum occupor rebus sanctis?

6° An non videor vires intellectus impendere rebus quæ non sunt meæ conditionis, rebus status mei neglectis?

II. An *sufficienter nutrio* intellectum? Nutritur autem intellectus seria *consideratione*, *meditatione*, *lectione*, *studio*.

1° An soleo identidem redire ad cor, *considerando* attente quæ video, quæ audio, ut reflectendo ad me ipsum, fructus experientiæ percipiam, et hinc prudentior et peritior rerum evadam?

2° An soleo quotidie, saltem per dimidiam horam, intellectum exercere circa aliquam solidam veritatem, ad morem sanctorum?

3° An assuevi opportuno tempore cibum sumere spiritualem ex lectione librorum, non leviter, sed docte scriptorum?

4° An vaco fideliter studio rerum sacerdotalium? An non videor prorsus negligere studium theologiæ dogmaticæ, moralis, asceticæ, scripturisticæ, historicæ, liturgicæ? Forsan invenio tempus ad legendas ephemerides, non invenio tempus ad studendum!

5° An studeo *methodice* et *considerate*, singulis diebus legendo non *multa*, sed *multum*?

III. An *convenienter subjicio* intellectum legitimæ auctoritati?

1° Si scrupulosus sum, an auctoritati con-

fessarii prorsus submitto judicium eique *constanter per omnia* obedio?

2° An habeo animum semper paratum et promptum, ad obediendum in omnibus veræ Christi sponsæ, sanctæ Matri nostræ Ecclesiæ, deposito omni proprio judicio?

RECOLLECTIO XX.

MEDITATIO.

S. Franciscus Salesius, exemplar sacerdotales

1. Præl. Videamus Sanctum dicentem missam piissime, vel devotissime recitantem divinum officium.

2. Præl. Petamus gratiam imitandi ejus virtutes.

Possumus merito S. Francisco Salesio applicare verba, quibus Spiritus sanctus Moysen laudavit : « Dilectus Deo et hominibus, cujus memoria in benedictione est. » (Eccli., XLV, 1.)

Ium PUNCTUM. — Dilectus Deo.

S. Franciscus Salesius dilectus fuit Deo propter *vitæ innocentiam ;* propter *admirabilem pietatem;* propter *sinceritatem desideriorum.*

1° Dilectus fuit Deo propter *vitæ innocentiam.*

Duxit sane sanctus Præsul vitam innocentissimam. Assueverat quotannis serio obire Exercitia S. Ignatii. Ope horum Exercitiorum, quotannis in corde suo firmabat lapidem fundamentalem

omnis perfectionis, omnis sanctitatis, omnis sapientiæ, *timorem Domini* et inde profluentem, ut consequentiam ex principio, *horrorem salutarem* omnis peccati. Adeo abhorrebat peccatum ut, si ipsi optio data fuisset inter *peccatum* et *jacturam* omnium rerum, omnium dignitatum, immo et ipsius vitæ, ne in deliberationem quidem venisset, sed omni momento fuisset paratus mori millies, potius quam semel fœdari, non dico peccato mortali, sed etiam minimo peccato veniali.

Quænam est nostra vitæ puritas? An peccatum sincere *abhorremus?* An peccatum forti voluntate *vitamus ?* An tantus jam est noster peccati horror, ut dicere valeamus, et nos esse paratos omnium potius rerum facere jacturam, quam Deum offendere minimo peccato?

2° Dilectus fuit Deo propter *admirabilem pietatem.*

Profecto pietas S. Francisci non *levis* erat ; sed *virilis, constans, suavis,* simul et *effectrix magnarum rerum. Vere* et *intime* colloquebatur cum Deo ; Deum consulebat in rebus dubiis ; Deo cum

filiali fiducia singulis diebus factorum et dictorum reddebat rationem. *Utile* et *jucundum* ipsius erat cum cœlo commercium.

Nostra autem pietas qualis est? An non inveniuntur inter subditos nostros, qui longe nos superant pietate? qui melius quam nos assueverunt orare et intimius cum Deo suo agere? qui utuntur majori quam nos familiaritate cum Amico tabernaculi, cumque illius amantissima Matre? O si nobis persuasum esset pietatem utilem esse ad omnia, diligentiores nos exhiberemus in omni opere pietatis, et pro successu rerum nostrarum, majoris momenti duceremus *orationem* quam omnia alia subsidia humana.

3° Dilectus fuit Deo propter *sinceritatem desideriorum.*

Quid desiderabat S. Franciscus? Id unice propter quod Jesus se hominem fecit, propter quod passus et mortuus est, *gloriam Patris et salutem animarum.* Et quam vehementer id desideraret, probant ardentissima verba quæ frequenter ex ore ipsius prolabebantur,

et lacrymæ quas coram Deo in ferventi oratione fundere solebat.

Et quid nos desideramus ? Forsan desideramus divitias, et hoc turpe est. Forsan honores, dignitates et hominum admirationem, et hoc vanum est. Et si desideramus gloriam Dei et salutem animarum, quo ardore desideramus ? Oblivisci non possumus, desideria hominis alas esse, quibus se sublevat anima ad cœlestia.

II^um^ PUNCTUM. — **Dilectus hominibus.**

S. Franciscus Salesius hominibus dilectus fuit propter *suavitatem* et propter *humilitatem.*

1° Dilectus hominibus propter *suavitatem.*

Legenti vitam ejus, pervolventi silvam epistolarum quas scripsit, patebit quam *suavis*, quam *blandus*, quam *comis*, quam *amabilis* fuerit in omni suo cum proximo usu et commercio. Ad exemplum sui Magistri JESU, omnium corda, magnetis instar, ad se trahebat sibique ineluctabiliter devinciebat.

An idem de nobis dici potest ? An

nobis non est nimia asperitas in verbis
An non aliquid nimium severi in vultu
An non quædam durities in modo ob
jurgandi, in modo corrigendi ? Forsa
ita agimus, ita loquimur, ut credamu
flocci facere leges urbanitatis.

O mi Deus, utinam omnes, quotquo
sumus, evaderemus totidem magnete
quibus ad scholas nostras, ad cathedra
nostras, ad nostra confessionalia alli
ciantur, non feminæ tantum, sed et viri
et præsertim ipsi maximi peccatores

2° Dilectus hominibus propter *humi-
litatem.*

Dicitur Deus *humilia respicere*, e
cognoscere *alta a longe ;* placent enim
Deo humiles, displicent superbi. Sic
naturaliter et nos amamus præditos
humilitate, despicimus et detestamur
quos deprehendimus laborare superbia
Sanctus Franciscus excellebat humili-
tate. Nunquam auditus est jactare *s*
vel *sua ;* minime honoribus inhiabat
humiliatione nulla turbabatur ; de inju
riis et de contemptu gaudebat ; pro
pterea omnibus exstitit carissimus.

Quam sæpe sacerdos, cæteroquin

bonus et dignus existimatione, alienavit a se animos fratrum vel subditorum, vel quia frequentius de semetipso sermonem instituit, vel quia conqueritur de humiliori munere, vel quia de injuria accepta tristatur, vel quia prave erubescens videtur aut animo dejectus.

Quam felix sacerdos qui nunquam oblivioni dat verbum JESU dicentis : « Omnis qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur. » (Luc., XIV, 11.)

III^um^ PUNCTUM. — **Cujus memoria in benedictione est.**

Ubique terrarum notus est amabilis Præsul, ubique dilectus, ubique ore omnium benedictus.

Tria S. Francisci memoriam commendabilem fecerunt: ipsius *sanctitas*, *opera*, *scripta*.

1° Ipsius *sanctitas*.

Sanctitatem hanc adeptus est in maximo gradu, et quidem brevi tempore, at non sine lucta. Ad sanctitatem pervenit, *luctando* firma voluntate contra inclinationes quæ sanctitati

obstare videbantur. Indole pronus erat ad iram; iram compescuit, et homo factus est inter omnes mitissimus. Indole pronus erat ad superbiam; contra animum superbientem viriliter egit, eum devicit, et vix homo Francisco humilior in terris visus est.

Docet S. Ignatius in celebri meditatione de *tribus classibus* hominum, non nisi *volentes voluntate plena, absoluta* et *constanti* aptos esse ad sanctitatem. Videamus igitur, an non longe absit a nobis sanctitas, quia nobis defuit debita voluntas.

2° Ipsius *opera.*

Nullus est qui non miretur S. Franciscum, brevi vitæ suæ spatio, tam multa, tam varia, tam magna concepisse et ad perfectionem deduxisse. Intellexerat quantus thesaurus sit *tempus* a Deo nobis concessum, et propterea diligentissime cavebat ne minima hujus thesauri particula sua culpa deperderetur.

O si nobis melior esset temporis æstimatio et prudentior usus, procul dubio plura, meliora, majora faceremus. Tan-

tum valet tempus quantum cœlum, siquidem *tempore emitur cœlum.*

3° Ipsius *scripta.*

Tam pulchra sunt quæ scripsit sanctus Præsul, tam sancta, tam plena sunt spiritu Jesu, tantam suavitatem redolentia, ut necessario legenti oboriatur singularis auctoris æstimatio atque amor. Quis æquare poterit verbis stupendos fructus quos in Ecclesia Dei producere solet lectio eorum quæ scripsit S. Franciscus ?

O admirabilis doctor, intercede pro nobis, ut nos commendabiles reddere valeamus *operibus* nostris et nostra *sanctitate.* Amen.

CONSIDERATIO.

De gloria sacerdotali.

« Qui gloriatur, in Domino glorietur ! » (II Cor., x, 17.)

Duplici modo gloriari solent homines ; gloriantur enim vel more *mundanorum*, vel more *sanctorum.* More mundanorum, si gloriam quærunt quam *mundus* dat ; more sanctorum, si quærunt gloriam quam dat *Christus.*

Sanctus senex Simeon lætatus est quod oculi ipsius viderint hanc gloriam quam Christus suis esset communicaturus: « Nunc dimittis, ait, servum tuum, Domine,... quia viderunt oculi mei lumen ad revelationem gentium,et *gloriam* plebis tuæ Israel.» Intellexerat sanctus vir hanc gloriam, a Christo dandam, esse gloriam veram,quæ sola digna sit quam concupiscamus ; omnem aliam gloriam, quantacumque sit, vanam esse atque inanem.

Operæ pretium est accurate definire quodnam intercedat discrimen veram gloriam inter et falsam ; inter gloriam *mundi*, et gloriam *Christi.*

In primis,quid venit nomine *gloriæ vanæ?* Juxta doctrinam S. Thomæ, tripliciter vana esse potest gloria. Vana est gloria vel ex parte *rei* de qua quis gloriam quærit, puta, cum quis quærit gloriam de eo quod non est, vel de eo quod non est gloria dignum, sicut de aliqua re fragili et caduca. Vel vana est ex parte *ejus a quo* quis gloriam quærit, puta hominis cujus judicium non est certum. Vel vana est gloria ex parte *ipsius qui* gloriam appetit, qui videlicet appetitum gloriæ non refert in debitum finem, puta ad honorem Dei vel proximi salutem.

Quis non videt hac triplici vanitate laborare gloriam mundanorum? *De quibus* enim quærunt mundani gloriam suam?

Nonne de claritate natalium, de magnitudine famæ, de munerum suorum præstantia, de splendore suorum factorum? Sed hæc omnia, vel gloria digna non sunt, vel transitoria sunt, caduca atque fragilia.

A quibus autem quærunt gloriam? Nonne ab hominibus hujus mundi, qui vel *inconstantes* sunt in laudando vel *injusti*, et semper erroribus atque deceptionibus obnoxii?

Et *quare* tantopere indulgent appetitui gloriæ? Non sane ut aliquid gloriæ conferant Deo; non ut utilitati aliorum prospiciant; sed ut sensuali suo et proprio amori præbeant nutrimentum. *Inanis* igitur est gloria mundi et transiens citissime. « Transierunt omnia tamquam umbra. »

Non sic gloria quam suis dat Christus. Gloriantur enim sancti quod divinitus in Dei filios fuerint adoptati; gloriantur quod sibi merita Christi admirabili ratione fuerint applicata; gloriantur quod secuti fuerint vestigia Ducis sui et Regis, ipsius virtutes imitati, et quod tandem pervenerint ad intimam cum eo unionem.

Hæc omnia magna sunt et laude dignissima, et sanctis vindicant existimationem non hominum tantum, sed et angelorum et ipsius sanctissimæ Trinitatis. Et eo magis existimatione digni sunt sancti, quod totam suam laudem referunt ad gloriam Dei et ad utilitatem aliorum.

Hoc igitur capite, toto cœlo differunt inter se gloria mundanorum et gloria sanctorum. Gloria mundanorum *vana* est ; *solida* est gloria sanctorum ; *transit* gloria mundanorum ; *in æternum manet* gloria sanctorum.

Sed et differunt alia ratione, scilicet *ipsa via*, qua quis ducitur vel ad gloriam Christi vel ad gloriam mundi.

Ut mundus suos ducat ad gloriam, docet eos jactare et titulos suos, et talenta sua, et sua merita ; docet eos in publicum prodire quantumcumque possint ; docet eos omnem vel minimam injuriam ulcisci, et nulli condonare, quod aliquid de sua existimatione detrahere ausus fuerit.

Non sic Christus. Iter ad suam gloriam esse ostendit, si discipuli sui flocci facian et nomina sua, et titulos suæ nobilitatis, e sua merita ; si satagant in abscondito ma nere potius quam versari in conspectu ho minum, nisi contrarium exigat vel caritas vel obedientia ; si injurias et opprobria, non solum non abhorreant, sed libenter accipiant immo et in deliciis habeant.

Oculos jam ad nosmetipsos convertamus Appetimus omnes gloriam ; sed propte imbecillitatem nostram et propter insidias inimici, periculum est ne gloriemur eo mod quo gloriandum non est. Profecto nos glo riari oportet in Domino. Gloriabimur omne

in Domino, si *constanter* et *generose* enitamur nos præbere in omnibus veros et genuinos *sacerdotes Dei*, et tot sanctorum fratres et imitatores strenuos. « Qui gloriatur, in Domino glorietur! »

EXAMEN.

Circa vanam gloriam.

1° Quomodo soleo æstimare gloriam quæ venit ab hominibus?

An mihi persuasum est:

a) Nihil magis esse vanum hac gloria, nihil inconstantius?

b) Vanam gloriam esse *furtum*, debitum Deo honorem auferens, *mendacium* et *stultitiam*, dum vermiculus intumescens se extollit; *venenum* bona opera inficiens et præmium cœleste adimens? (Dirckinck, *Semit. perf.* XV.)

2° An non nimium et anxius gloriam humanam appeto?

3° An non tristor propter gloriæ humanæ jacturam?

4° An non offensum me ostendo erga eos qui aliquid detraxerunt de mea fama, de bona opinione qua apud alios fruor?

5° An modo loquendi non probo me pluris quam oportet mea facta æstimare?

6° An non plus æquo in operibus meis mihi complaceo!

7° An non avidius desidero ut quæ a me

bene facta sunt, ab aliis cognoscantur atque laudentur ?

8° An non ex industria in colloquio aliquid injicio, quo occasio oriatur loquendi de me et de meis rebus ad propriam meam laudem ?

9° An parum contentus de officio quod habeo, de dignitate quam nactus sum, non inhio officio majori, altiori dignitati ?

10° An non ex amore vanæ gloriæ fratribus, ad altiora munera evectis, invideo, eorum merita,quotiescumque nata est occasio, minuens malitiose ?

Gravissima sunt hac de re S.Basilii verba: « Inanis gloria est *dulcis* spiritualium operum *exspoliatrix*,*jucundus* animarum *hostis*, *blandissima* bonorum nostrorum *deprædatrix*, et *mortiferi* hominum mentibus *poculi porrectrix*. » (S. Bas., *Constit. monast.*, X.)

Concede igitur mihi, o JESU, ut fideliter sequar monitum quod tuis discipulis dedisti, dicendo : « Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus ut videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cœlis est. » (Matth., VI, 1.)

RECOLLECTIO XXI.

MEDITATIO.

De sancto Joseph.

1. Præl. Nobis repræsentemus S. Joseph fugientem cum Maria in Ægyptum, ut JESUM subtrahat furori Herodis.

2. Præl. Petamus a Deo gratiam nos constituendi, ad exemplum S. Joseph, *generosa* divinæ Providentiæ *instrumenta*.

Docent vitæ spiritualis magistri, ad sanctitatem consequendam magnopere conferre, *devote* ea munera obire in quibus magis exercetur humilitas et caritas, et quanto quis se arctius Deo adstrinxerit et liberaliorem erga summam Majestatem se præstiterit, tanto ipsum eam in se liberaliorem etiam experturum esse.

Sufficit igitur, ad laudandum S. Joseph, considerare quam *devote* se exercuerit in muneribus abjectis ex amore Dei, et quomodo hanc devotionem *summa mercede* donaverit Deus. Ergo perpendamus:

1° Quomodo S. Joseph fuerit divinæ

Providentiæ instrumentum *generosum*;
2° Quomodo S. Joseph fuerit divinæ
Providentiæ instrumentum *gloriosum*.

I^um^ PUNCTUM. — **S. Joseph instrumentum Dei generosum.**

Juxta doctrinam S. Thomæ, *devotio* nihil aliud est quam promptissima voluntas, qua quis se confert ad omnia quæ pertinent ad Dei famulatum. Nullus non videt devotionem eo majorem esse ac liberaliorem, quo difficiliora et minus jucunda sunt ea, ad quæ se confert voluntas. Sub hoc respectu devotione sua S. Joseph plane admirabilis exstitit.

1° Profecto sua devotione admirabilis fuit, quod, cum esset regiæ nobilitatis (descendebat enim ex regibus Juda, ex gloriosissima familia David) libenter *pauper* factus est, libenter *latuit* in oppidulo quod Judæis despectui erat, et ibi, per totam fere vitam, pro sceptro *fabrilia instrumenta tractavit*.

2° Sed adhuc admirabilior fuit in eo, quod, *propria utilitate sepositâ*, *unice* se impendit in gloriam Dei, consti-

tuendo se *generosam victimam* divinæ voluntatis. Fere in omnibus mysteriis nostræ Redemptionis, ut talis victima oculis nostris apparet S. Joseph.

Postulabant gloria Dei nostraque salus, ut Filius Dei, factus homo, vitam ageret pauperem, ærumnosam, laboriosam ; ad hoc autem necesse erat, ut Pater ipsius nutritius vitam ageret in paupertate, in ærumnis, in laboribus. Hanc autem vitam ex toto corde amplexus est S. Joseph.

Postulabat gloria Dei, postulabat salus nostra, ut Jesus, adhuc puerulus, duceretur in exsilium, et ibi per aliquod tempus in summa egestate degeret. Sed ad hoc necesse erat,ut Pater ipsius putativus per desertum de nocte fugam caperet peteretque exsilium. Exsilii molestias ex toto corde amplexus est S. Joseph.

Postulabant gloria Dei et salus nostra, ut parentes docerentur, quam patienter ferre debeant se separari a prole sua, si contingat eam a Deo vocari ad vitam perfectiorem ; sed ad hoc necesse erat ut Jesus, duodennis,

insciis parentibus, Jerosolymis manere inter doctores, et sic causa exstare maximi doloris Patri suo nutritio e suæ benedictæ Matri. Hunc doloren ex toto corde suscepit atque sustinui S. Joseph.

Postulabant gloria Dei et salus no stra, ut idea patris carnalis et tempora lis a mentibus Judæorum amoveretur ac proinde ut S. Joseph nullatenu appareret, dum JESUS duceret vitam publicam.-Unde, ut fert traditio, mor tuus est S. Joseph, priusquam oculi videret miracula JESU, JESUMque vivun miraretur e sepulcro resurgentem e in cœlum gloriose ascendentem. Han vero mortem læto animo subiit S. Jo seph, ubique et semper instrumentum Dei *generosum*.

IIum PUNCTUM. — **S. Joseph instrumentum Dei gloriosum**.

Suum instrumentum multiplici glori circumdedit divina Providentia.

1° Sanctum Joseph ad summam evexit dignitatem, constituendo eum Sponsum Matris Dei et Patrem nutr

tium Filii Dei. Gloria hæc sane singularis, et quæ cum nulla alia sit unquam comparanda.

2° Eum conscium fecit maximorum mysteriorum, Incarnationis scilicet et Redemptionis, nec dedignatus est eum facere participem sublimium consiliorum et assumere, ut dicit S. Bernardus, in adjutorem fidissimum. Ex hac divina fiducia erga S. Joseph tanta enascitur gloria, ut vix queat major excogitari.

3° Eum admisit ad suavissimum contubernium Jesu et Mariæ. Quanta proin gloria S. Joseph, quod per tot annos ei vivere licuit sub eodem tecto, sub quo commorabantur Rex regum et Regina cœlorum, eorumque frui suavissimis colloquiis !

4° Eum muneravit admirabilis castitatis dono. Adeo castus erat S. Joseph, ut Maria, quæ in conspectu angeli sub forma humana apparentis turbata fuit, non dubitaverit, lumine cœlesti edocta, vivere per tot annos cum castissimo sponso. Nonne hinc merito quis concludet puritatem S. Joseph admirabilem fuisse ?

5° Non exiguam percepit S. Joseph gloriam ex legitimo imperio quod exercuit in Filium Dei et in ejus sanctissimam Matrem ; ex dono altissimæ contemplationis qua intelligeret sublimissima Dei arcana ; ex morte pretiosissima, siquidem morienti adfuerunt Jesus et Maria.

6° Sed instrumentum suum docile atque generosum glorificare voluit Deus coram angelis suis atque sanctis. Et hac gloria fulgebit S. Joseph per perpetuas æternitates.

De hac igitur, o amabilissime Patrone, tanta ac tam multiplici gloria tibi ex toto corde congratulamur, et gratias agimus Sanctissimæ Trinitati, quod te a tota æternitate elegerit in tam admirable instrumentum suæ Providentiæ pro nostra salute, quodque nostris temporibus hoc suum instrumentum tanto circumdederit fulgore, ut nomen tuum, cum nomine Jesu et Mariæ, ubique terrarum ore omnium laudetur et invocetur. Obtine nobis gratiam nos etiam constituendi divinæ Providentiæ instrumenta *generosa*, ut

mereamur, sicut tu, evadere instrumenta *gloriosa*. Amen.

CONSIDERATIO.

De viis Domini.

Per *vias Domini* intelligimus complexum *mediorum* quibus utitur Deus ut nos ad salutem æternam perducat.

1. Hæ autem viæ Domini *variæ* sunt pro variis hominibus. Verum quidem est aliqua media *omnibus* communia esse, ut sunt *præcepta Dei et Ecclesiæ ;* quædam *multis* esse communia, ut sunt *regulæ* et *constitutiones* relate ad omnes religiosos ejusdem Ordinis. Sed præter hæc communia media, quædam sunt omnino particularia et *singulis hominibus accommodata*, ita ut cum veritate possit dici de quovis sancto : « Non est inventus similis illi. » Sicut enim singula puncta alicujus circuli religantur centro per varios radios omnino inter se distinctos, ita singulæ animæ ad Deum trahuntur *variis viis seu mediis.*

2. Omnes illæ viæ *bonæ* sunt et *tutæ*, quia omnes determinatæ sunt ab ipso Deo infinite bono et sapienti. Præterea « universæ viæ Domini, ait Psalmista (Ps. XXIV, 10), misericordia et veritas. » *Rectas* eas vocat Sapiens (X, 10) : « Justum deduxit per vias

rectas. » Et quia rectæ, omnium *brevissimæ* sunt.

3. *Mirabiles* sunt, quia in omnibus elucent bonitas, sapientia et potentia Dei ; et per totam æternitatem, videndo quam *suaviter* et *fortiter* unumquemque nostrum attraxerit Dominus, dicere cogemur cum Davide : « Mirabilis Deus in sanctis suis » (Ps. LXVII, 36), et cum Sapiente: « Deduxit illos in via mirabili. » (Sap., X, 17.)

4. Sed omnes illæ viæ plerumque nobis, dum vivimus in terris, *absconditæ* sunt. Tendimus ad cœlum eodem modo quo Israelitæ ad terram promissam, nempe *per deserta quæ non habitabantur*, et propterea columnam illam igneam, qua ducebantur, vocat Sapiens *ducem ignotæ viæ* (Sap., XVIII, 3).

Et re quidem vera, quam multa accidunt quæ nobis sunt veluti ænigmata ! Ecce in Ordine religioso vir talentis et virtute præditus, egregie juvare posset Ordinem suum, sed præmatura morte abripitur ; religiosi autem minus docti, minus sancti, immo et nocivi, ad senectam usque relinquuntur. Nonne ænigma est, quod sacerdos qui optime vivit, ferventer inservit Deo, non nisi mediocrem fructum colligit pro gloria Dei ; alius vero imperfectus, sensualis, tepide vivens,tamen movet sibi existimationem hominum, et eximias videtur operari conversiones? Nonne ænigma est, quod aliquando

sacerdos, qui paratissimus est ad ambulandum generose et fortiter in via perfectionis, impeditum se sentit, non solum ab adversariis, sed etiam a fratribus, immo et a superioribus ?

« O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viæ ejus ! » (Rom., XI, 33.) « Quod ego facio, ait Dominus, tu nescis modo, scies autem postea. » (Joan., XIII, 7.) «Non enim cogitationes meæ cogitationes vestræ, neque viæ vestræ viæ meæ, dicit Dominus ; quia sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris et cogitationes meæ a cogitationibus vestris. » (Is., LV, 8, 9.)

Modus quo Deus diligit aliquem, omnino diversus est ab illo modo quo nos eumdem hominem diligimus. Nos putamus amorem a nobis exigere ut amatum augeamus *deliciis*, *divitiis*, *honore*, et ab ipso avertamus quidquid illi molestum esse posset, ut est paupertas, opprobrium, cruciatus, infirmitas. Deus autem existimat se probaturum amorem suum, si amatum afficiat ærumnis, paupertate, opprobriis. Sic egit erga Filium suum unigenitum, sic erga Beatissimam Virginem Mariam.

5. Illæ viæ Dei sæpe videntur *contrariæ fini* ad quem diriguntur. Sic Deus promiserat Abrahæ posteritatem ingentem, et ecce

filium unicum, antequam matrimonio junctus sit, occidi jubet. Fecunditatem promittit Isaac singularem, et ecce ipsi dari procurat uxorem sterilem. Mittit Deus Gedeonem contra hostes numero et viribus validissimos, et jubet dimitti majorem partem exercitus, ita ut trecenti tantum ipsi maneant socii, iisque perpaucis dari voluit Deus « tubas in manibus eorum, lagenasque vacuas ac lampades in medio lagenarum. » (Judic. VII, 16.) Quomodo egit Dominus erga Joseph, filium Jacob, ut illum duceret ad illam miram potentiam qua postea pollere visus est? Quænam adhibuit media, ut id quod figurabatur in duplici somno, ad actum reduceretur? invidiam fratrum, venditionem, carcerem, calumnias. Sed præsertim videte, quibus mediis voluerit Deus salvari humanum genus, *cruce* nimirum et *opprobriis* Christi.

Sic ergo Deus deducit electos suos per *tenebras* ad *lucem*, per *miserias* ad *felicitatem*, per *infirmitatem* ad *sanitatem*, per *mortem* ad *vitam*, per *opprobria* ad *gloriam*.

6. Viæ Domini sæpe sæpius *contrariæ* sunt *desideriis* et *judiciis* nostris. Hinc tot molestiæ, tot deceptiones, tot impedimenta etiam ad bene operandum. Exemplo sit S. Bernardus. Prædicaverat sacram expeditionem, et ad eam promovendam insignia patraverat miracula. Verumtamen, Deo permittente, malus fuit expeditionis exitus

Omnes invehuntur in S. Bernardum ; vir Dei habetur ut homo inconsideratus, adeo ut ipse scripserit ad Eugenium Papam : « Quam confusi sunt pedes evangelizantium pacem, annuntiantium bona! Diximus, Pax, et non est pax ; promisimus bona, et ecce turbatio! » (*De consid.*, lib. II, c. 1.)

7. *Quare* igitur solet Deus suos ducere per vias quæ videntur contrariæ, et *fini*, et *voluntati nostræ*, et *nostro judicio ?*

In primis quia Deus, qui infinite sapiens est, tales vias scit esse omnium *optimas*, *tutissimas* et *brevissimas*. Deinde quia sæpissime nos ipsi obstamus nostræ felicitati, et propterea intendit optimus Pater nos nobismetipsis aliquo modo subtrahere, agendo contra nostrum amorem proprium, contra propriam nostram voluntatem atque proprium judicium. Hinc celebre verbum evangelicum : « Qui vult venire post me, abneget semetipsum. »

Videt nos nimis adhærentes bonis temporalibus, et propterea permittit jacturam istorum bonorum. Videt nos nimium adhærentes commodis corporis, et propterea permittit jacturam valetudinis. Videt nos nimium adhærentes æstimationi hominum, et propterea permittit jacturam famæ. Videt nos nimium adhærentes consolationibus, et propterea permittit desolationem.

8 Conclusio hujus considerationis pra-

ctica sit, accipere vias Domini eo animo quo eas accipiebant sancti.

a) Vias Domini semper considerabant *oculo fidei*. Firmiter credebant Deum esse sapientissimum, potentissimum, benignissimum ; pro certo igitur habuerunt vias a Deo adhibitas optimas esse.

b) Se totos gubernandos tradebant divinæ Providentiæ, cum in rebus spiritualibus tum in temporalibus.

c) Curabant ut omnia fierent quam optime, sed a solo Deo exspectabant exitum rerum.

d) Adversa sustinebant animo forti et invicto. Hinc pax summa, imperturbata lætitia, meritum ingens et super omnia singularis Dei protectio.

EXAMEN.

Circa usum sensuum.

I. Sensus sunt *fenestræ animæ*. Fenestrarum autem duplex est officium ; aperire locum *aeri vivifico*, claudere omni *aeri nocivo*.

1° An *aperio animam* aeri *vivifico* gratiæ, *aspiciendo* frequenter cœlum, tabernaculum, crucifixum, imagines Beatæ Mariæ Virginis et sanctorum, paginas piorum librorum ;... *audiendo* libenter sermones sacros, monita superiorum, consilia Patris spiritualis ;.....

interrogando humiliter eos qui possunt me adjuvare in via sanctitatis ; ..... *adhibendo manum* ad laborem, ad opera caritatis, ad eleemosynam ;... sæpe et pie *gustando* escam divinam per communionem ?

2° An *claudo animam* aeri *nocivo, non aspiciendo* periculosa ;... *non præbendo aurem* sermoni contrario castitati, vel caritati, vel auctoritati superiorum ;... *non loquendo* ad captandam laudem ;... *non indulgendo* plus æquo palato ;... *non* imprudenter *tangendo* quæ possunt favere sensualitati ?

II. Sensus sunt *organa animæ* ad agendum exterius. Quomodo utitur anima mea *oculis, auribus, naribus, lingua, manibus ?* An ad bonum ? An ad malum ?

III. Sensus sunt *adversarii animæ ;* hinc lucta perpetua carnem inter et spiritum.

An utor adversus hos inimicos domesticos armis quæ nos docuit JESUS, dicendo : « *Vigilate* et *orate*, ut non intretis in tentationem ? » An vigilo, an oro sufficienter in tentatione ?

IV. Sensus sunt *instrumenta meritorum*, ope mortificationis.

An sensus mortifico :

1° *Patienter* ferendo incommoda corporis, aeris, tempestatis ?

2° *Silenter* sustinendo morbos, vulnera et quamcumque infirmitatem ?

3° *Libenter* faciendo opera pœnitentiæ præscripta ab Ecclesia ?

4° Ex amore Dei, Beatæ Mariæ Virginis et sanctorum, vel ad salvandas animas, subtrahendo *sponte* aliquid ex iis quæ jucunda sunt oculis, auribus, palato, tactui, linguæ?

V. *Sensus* sunt aliquo modo *proditores*, et ut tales *puniendi.*

1° An punio *oculos* de nimia vel imprudenti curiositate, eos identidem privando aspectu rei jucundæ?

2° An punio *aures* de nimia aviditate rerum novarum, hic et nunc non inquirendo de rumoribus, vel de re quam gratum esset cognoscere?

3° An punio *olfactum*, non hauriendo naribus tabacum vel florum odorem vel exquisitum unguentum?

4° An punio *linguam* de tot quæ commisit malis, tacendo cum mihi jucundum esset loqui, et præsertim non loquendo de me vel rebus meis ad excitandam audientium admirationem?

5° An punio *corpus a)* de nimia pigritia minuendo tempus somni, illudque applicando strenue labori; *b)* de nimia sensualitate, adhibendo ad castigationem flagella catenulas acutas, cilicium, jejunium?

O mi JESU, quot perierunt, etiam sacerdotes, in æternum propter abusum sensuum! E contrario quot sancti in cœlo, per totam æternitatem, fulgebunt gloria singulari propter sensuum mortificationem! Concede

mihi, quæso, ut nunquam blandiar corpori meo, imprudenter sensibus indulgendo, sed potius corpus meum in servitutem redigam, ut, tanquam victor de hostibus meis domesticis, in societatem recipiar triumphantium, quibuscum gloriari valeam gloria Domini in æternum. Amen.

RECOLLECTIO XXII.

MEDITATIO.

De sancto Joanne Evangelista.

1. Præl. Conspiciamus Joannem recumbentem cum fiducia supra pectus Jesu.

2. Præl. Petamus a Jesu gratiam imitandi per omnia discipulum quem singulariter dilexit.

Utile nobis erit inquirere quare Jesus discipulum suum Joannem præ cæteris dilexerit. Responsum in promptu est; Jesus dilexit Joannem præ cæteris, qui Joannes *erat Jesu discipulus insignis.*

Insignis fuit Jesu discipulus:

1° Quia *conditiones* quas constituit Jesus, ut quis dicatur ipsius discipulus, *insigni modo* adimplevit.

2° Quia *signum* verorum Jesu discipulorum *insigni modo* in se demonstravit.

3° Quia in *schola* Jesu *insigniter excelluit* et rerum *intelligentia*, et rerum *praxi.*

I^um PUNCTUM. — **Adimplevit insigni modo conditiones a JESU requisitas.**

Duplicem conditionem a suis discipulis requirebat JESUS, alteram *negativam*, *positivam* alteram.

Negativa conditio hæc erat : « Omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. » (LUC., XIV, 33.)

Nonne S. Joannes generosissime *renuntiavit* et *parentibus* suis, et suis *divitiis*, et suis *retibus*, et suæ *libertati*, immo et *animæ* suæ ?

Sed quam ipsi *utilis* fuit hæc omnimoda omnium rerum renuntiatio! Ecce pro *parentibus carnalibus* habuit *Deum* in patrem, *Mariam* in matrem, *angelos* in fratres. Pro *divitiis temporalibus* accepit *bona æterna ;* pro *munere capiendi pisces* accepit munus capiendi *homines ;* pro *libertate humana* accepit *libertatem filiorum Dei ;* pro *vita labili* et *misera* accepit *vitam veram*, vitam *in æternum* perduraturam.

Et quam *utilis* fuit hæc renuntiatio etiam *aliis !* Siquidem per eam *expeditiorem* se fecit et *aptiorem* ad eos

juvandos, quibus auxilium ferre ex officio debebat.

An ego, o JESU, hucusque adimplevi hanc primam tuam conditionem? An saltem *corde* renuntiavi *omnibus rebus creatis?* An renuntiavi *mihi?* An vere liber sum ab omni vinculo? An nulli rei adhæreo *nimium* vel *culpabiliter?*

Positiva conditio hæc est: « Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis.» (Joan., VIII, 31.) Sensus est: Si constanter vitam duxeritis quæ meæ doctrinæ conformis sit, tunc utique vos dicam meos discipulos. Jam vero quid docuit JESUS? « Discite a me quia *mitis* sum et *humilis* corde. » (Matth., XI, 29.)

Ergo veri discipuli JESU *mites* esse debent et *humiles corde.* Quis vero *mitis* dicitur? Nonne ille qui *interius* dominatur omni appetitui inordinato, et qui *exterius* temperat ab omni signo impatientiæ?

Quis dicitur *humilis corde?* Nonne ille qui libenter *agnoscit* et *confitetur* se bona, quæ habet, accepisse a Deo; qui non *suam* quærit gloriam, sed Dei;

qui minime *turbatur*, minime *animo dejicitur* ad quamcumque humiliationem; immo qui *gaudet* de opprobriis et contemptu ?

Atqui ex Evangelio et ex Epistolis quas scripsit, intelligere est quam admirabiliter *manserit* Joannes *in sermone Domini*; quam admirabiliter a JESU didicerit *mansuetudinem* et cordis *humilitatem*.

An ego, o JESU, satisfeci huic alteri conditioni a te propositæ? An sufficienter soleo me exhibere mitem? An satis humilem corde? Quot forsan adhuc mihi elabuntur signa impatientiæ vel in una die? Quot signa animi superbientis? Nonne aliis qui mecum vivunt molestias creo multas mea impatientia, mea superbia?

II^um^ PUNCTUM. — **Excellenti modo in se signum exhibuit discipulorum JESU.**

Quodnam est hoc *signum?* « In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. » (Joan., XIII, 35.)

Certe *insigniter* nobis dedit hoc signum Joannes. Ad hoc probandum,

sufficit advertere S. Joannem fuisse *doctorem* dilectionis fraternæ ; eum implesse epistolas suas sententiis, quæ miro modo declarant exquisitissimam caritatem eamque vehementer commendant ; eum dixisse, eum scripsisse hanc solam legem caritatis mutuæ sufficere ad perfectionem, ad sanctitatem ; eum asseruisse, ad hoc præceptum de mutua dilectione reduci posse totam Filii Dei doctrinam.

Sufficit præterea observare S. Joannem singulariter dilectum fuisse, non solum a Christo Domino, sed ab omnibus Apostolis et nominatim a S. Petro, ut eruere est ex multis Evangelii locis et ex catholica traditione. Semper valebit hæc dilectionis lex : « Si vis amari, ama. »

Sufficit etiam in memoriam revocasse, quod narrat Eusebius in tertio libro suæ historiæ, quomodo scilicet S. Joannes, jam senio confectus, cucurrerit post latronem, quem junior converterat, et suavissima sua caritate crudelem hominem demulserit atque ad Christi ovile reduxerit.

O mi Jesu, non possum ego sacerdos oblivisci unquam, hoc *tuum* præceptum esse *gravissimum* propter auctoritatem et instantiam præcipientis. Ipse dixisti in ultima Cœna : « Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. » (Joan., XIII, 34.) Non possum oblivisci hoc tuum præceptum esse *jucundissimum*. Quid enim jucundius quam « habitare fratres in unum ? » Non possum oblivisci hoc præceptum tuum esse *utilissimum*, cum sit « frater qui adjuvatur a fratre quasi civitas firma. » (Prov., XVIII, 19.)

Quomodo soleo hoc præceptum observare :

1° Quoad *æstimationem ?* An non facile admitto *judicia* parum æqua ? *interpretationes* parum benignas ?

2° Quoad *affectum ?* An non nutrio aliquem *rancorem* erga fratrem, aliquam *aversionem*, aliquod *odium*, aliquem *vindictæ* appetitum ?

3° Quoad *verba ?* An nihil solet ex meo ore effluere quo lædatur fratris mei *fama* vel *auctoritas ?*

4° Quoad *opera ?* An libenter præsto *obsequia* caritatis petentibus ? An non facilius ea detrecto ? An fratres mei non merito conqueruntur de *ingrato* meo consortio ? de defectu *comitatis, urbanitatis ?*

III^um^ PUNCTUM.— **In schola JESU excelluit rerum intelligentia et praxi.**

1° Adeo rerum intelligentia excelluit S. Joannes, ut merito comparatus fuerit *aquilæ* evolanti usque ad thronum Dei. Quis melius intellexit quam Joannes, non solum quæ ad personam, ad doctrinam, ad vitam Christi pertinent, sed etiam quæ ad ejus divinitatem ? Quis non miratus est sublimitatem sermonis quo exorsus est suum Evangelium ?

Et *unde* hæc ei rerum altissimarum intelligentia ?

a) Ex sua *castitate ;* dixit enim JESUS : « Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt. »

b) Ex sua *simplicitate ;* est enim cum simplicibus Dei sermocinatio. Quam simpliciter, quam suaviter, quam sincere, quam familiariter agebat cum JESU

et cum aliis discipulis! Patet hoc pervolventi Evangelium.

Utinam et nostra *castitate* et nostra *simplicitate* aptiores evaderemus ad intelligendas res divinas! *Feliciores* essemus: essemus etiam *utiliores* iis quos ex officio tenemur docere in viis Domini. Sed eheu! sæpe accidit, ut non nisi maxima difficultate capiamus res vitæ spiritualis, vel quia animus noster non sat castus est, vel quia in *agendi* ratione, in ratione *judicandi*, in ratione *loquendi* non sufficienti utimur simplicitate. *Simplicitas* est *spiritus fidei in actu*. Si *oculo fidei*, et *non oculo carneo*, omnia aspiceremus, essemus in omni nostra consuetudine simpliciores. Hinc esset facilior Dei nobiscum sermocinatio; hinc etiam major mentis nostræ illustratio.

2° Excelluit rerum *praxi*.

Optime et *brevi tempore* intellexerat S. Joannes Dominum Jesum sui imitatores invitasse ad sequelam sui per omnia, dicentem: « Qui vult *venire* post me... »

S. Joannes Jesum secutus est per omnia.

1° Secutus est eum in *summa paupertate*. Adeo se pauperem fecit, ut jam nihil possideret in hoc mundo, et nihilominus, juxta consilium divini sui Magistri, esset absque ulla sollicitudine circa potum, circa cibum, circa vestitum, totum se divinæ credens Providentiæ.

2° Secutus est eum in *labore*. Laboravit cum JESU usque ad fatigationem; laboravit *multum*, laboravit *diu*, laboravit usque ad mortem. Et quam *pura intentione* laborabat! Laborabat enim non pro sua gloria, sed pro gloria JESU, sui prorsus oblitus. Et quo *zelo* laborabat et qua *constantia!* Peregrinabatur, prædicabat, constituebat Ecclesias multas easque regebat; languidos curabat, peccatores convertebat, errantes ad veritatem revocabat; interea scribebat epistolas, scribebat Evangelium, scribebat Apocalypsim. Et quanto cum fructu laborabat! Quis dinumerare poterit animas quas convertit, animas quas sanctificavit, animas quas cœlo inseruit? Et quam *dulcis*, quam *jucundus* ipsi esse debuit tantus fructus, et

per vitam, et in hora mortis, et per totam æternitatem !

3° Secutus est eum in *ærumnis* et *opprobriis*. Nonne sustinuit *irrisiones* falsorum fratrum, ut ipse testatur ? Nonne sustinuit *ignominiosam flagellationem ?* Erat enim unus ex illis de quibus scriptum est : « Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. » (Act., v. 41.) Nonne sustinuit *exsilium ?* Nonne subiit *martyrium ?*

Et *quo animo* hæc omnia sustinuit ? Non solum animo *patienti ;* non solum animo *libenti ;* sed animo *ardentissimo* et cum incredibili mentis *exsultatione.*

Nos etiam sequimur Jesum, sed forsan *a longe*, forsan *ex parte*, forsan *ad tempus* et per *intervalla*, cum tamen sequi debeamus, non a longe, sed *proxime ;* non ex parte, sed *omnino ;* non pro aliquo tempore, sed *constanter.*

An sequimur Regem nostrum amantissimum per *omnia ?* An in *paupertate ?*... An in *labore ?*... An in *ærumnis* et *contemptu ?*... Et *quo animo ?*

Fac, o mi Jesu, ut, sicut fidelissimus

discipulus tuus Joannes, *laboremus* æternitati, *vivamus* æternitati, *patiamur* æternitati; ut libenter sustineamus nunc onus et pondus diei; ut cum magno animo, cum summa fidelitate adimpleamus nostra officia sacerdotalia, non ex tristitia et quasi coacte, sed cum gaudio et cum amore. Fac, o benignissime Redemptor noster, ut mereamur, cum Joanne, caput nostrum applicare pectori tuo divino, fortiter stare juxta crucem tuam, accipere Matrem tuam in nostram, et tandem pro te profundere vitam. Amen.

CONSIDERATIO.

De fiducia apostolica.

I. Sacerdos vocatione et officio apostolus est. Apostolis autem duo necessaria sunt ad obeundam sublimissimam suam vocationem: nempe maxima *sui diffidentia* una ex parte, ex altera parte summa *in Deo fiducia*.

Ut diffidentiam sui quis habeat, serio se examinet quotidie, et mox intelliget quam miser sit, quam contemptibilis; et quo magis se cognoscet, eo magis se despiciet.

Difficilius videtur sacerdotem posse acquirere in Deo fiduciam. Et tamen omnia e

clamant : « Habe fiduciam. » Id clamat *auctoritas Jesu ;* id clamant *attributa Dei ;* id clamant *exempla sanctorum.*

1° *Auctoritas Christi.* Ubicumque invenit fiduciam, eam laudat, exaltat, remunerat. « Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel. » (Matth., VIII, 10.) « Confide, filia, fides tua te salvam fecit. » (Matth., IX, 22.) « O mulier, magna est fides tua ; fiat tibi sicut vis. » (Matth., XV, 28.)

Ubicumque autem reperit diffidentiam, eam reprehendit, impugnat, damnat. « Quid timidi estis, modicæ fidei ? »(Matth.,VIII, 26.) « Quid cogitatis intra vos, modicæ fidei ? » (Matth , XVI, 8.)« Modicæ fidei, quare dubitasti ? » (Matth., XIV, 31.)

Voluit fiduciam nostram esse *conditionem* miraculorum suorum. « Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc illuc, et transibit, et nihil impossibile erit vobis. » (Matth., XVII, 19.)« Amen dico vobis, si habueritis fidem, et *non hæsitaveritis,...* omnia quæcumque petieritis in oratione, credentes, accipietis. » (Matth., XXI,21, 22.) « Si credideris, videbis gloriam Dei. » (Joan., XI, 40.) « *Omnia* possibilia sunt credenti. » (Marc., IX, 22.)

2° *Attributa Dei.*Credimus firmiter Deum esse *omnipotentem,...* infinite *sapientem,...* et æterna caritate *dilexisse* nos ; ergo ab ipso

omnia sperare debemus. Quadam die P. Balthasar Alvarez, constitutus in maxima tribulatione, sollicitabatur ad dubitandum de auxilio quod a Deo petiverat; et ecce vir sanctus hanc interius audivit vocem : « Te adjuvabo, fili mi, primum quia *Deus* sum, deinde quia *pater*. » Qualis Deus ! Qualis pater !

3° *Exempla sanctorum*. Quid erant *Apostoli ?* Quam exigui, quam pauperes, quam despecti ; et tamen tantilli, confisi auxilio Christi, ausi sunt aggredi mundum ut illum imperio JESU subigerent, et mundum subegerunt.

S. Franciscus Xaverius, pauperrimus, remotissimas adit regiones solus, omni humano auxilio deficiente, et plura regna paucis annis, fretus unice auxilio divino, Ecclesiæ conquisivit.

S. Theresia, in eo ut inciperet ædificare novum monasterium, ad hoc acceptis quatuor denariis, respondit viro ipsam irridenti : « Verum est, ut dicis ; Theresia nihil est, nihil quatuor denarii, sed Theresia, quatuor denarii et *Deus*, hoc multum est. » Tacuit irrisor; ipsa suum opus ad stuporem omnium absolvit.

II. Hæc fiducia vere apostolica excitatur, nutritur, conservatur oratione, ea præsertim qua Christum in tabernaculo commorantem alloquimur, ut alloqui solet amicus amicum,

Est JESUS omnium amicorum amicissimus. Est amicus omnis *horæ*, omnis *necessitatis*. Nunquam fatigatur præsentia nostra ; nunquam eum tædet nos audire; cordi habet omnia nostra ut sua ; et quia amicus est verus, licet, Deus cum sit, omnia sciat, vehementer tamen lætatur ex communicatione qua amatus simpliciter et familiariter ei nota facit omnia sua, et læta et tristia, ut infantulus patri amantissimo.

Vult, o sacerdos, ut filiali cum libertate ipse dicas quomodo valeas ; quomodo res tuæ tibi succedant ; an tristis sis, an lætus. Hæc omnia vult scire *a te*, non per alium : adeo tibi amicus est ! Itaque

1° *Si tristis es*, effunde lacrymas coram ipso. Non te quidem prohibet quominus etiam aliis amicis tuis tristitiam tuam communices; sed plerumque redibis ad Amicum tabernaculi, dicere coactus : « Verbosi amici mei ; ad Deum stillat oculus meus. » (Job, XVI, 21.)

2° *Si gaudes*, gaudium tuum notum fac Amico, et gaudebit tecum, sanctificans tuum gaudium.

3° *Si peccasti*, curre statim ad Amicum, eique ostende vulnus tuum, et consolabitur de lapsu, et vulnus subito sanabit.

4° *Si videtur non exaudire preces tuas*, nec concedere quod instanter petiveras, amice conqueri potes de negata re, interea confitens te nihil velle nisi quod ipse velit.

5° Coram ipso pande desideria tua atque vota, minime *hæsitans*. Pete, et quo plura et majora petieris, eo magis ipsi placebis. Ei in memoriam revoca quod dixit aliquando : « Pete et accipies. »

6° Cum ipso familiariter colloquere de parentibus tuis, de pœnitentibus, de benefactoribus, de adversariis tuis, de pueris parochiæ, de ægrotis tuis. Coram ipso lauda eorum qualitates, excusa defectus, expone eorum necessitates.

7° Loquere identidem cum ipso de rebus ad ipsum pertinentibus, de Matre ipsius admirabili, de Patre nutritio, de Ecclesia sponsa. Loquere cum testificatione grati animi de iis quæ dixit, quæ fecit, quæ passus est tanto cum amore.

O sancta simplicitas ! O sancta familiaritas ! Inexhaustus fons est luminis, roboris, solaminis, maximarum gratiarum, et in Paradisum convertit Tabernaculum. O sacerdos, si scires donum Dei, quam beatus esses !

EXAMEN.

Circa pietatem nostram erga passionem Dominicam.

« Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei ; si autem filii, et hæredes : hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi ; si tamen *compa-*

timur, ut et conglorificemur. » (Rom., VIII, 16, 17.)

Potest sacerdos *practice* compati Christo, duplici modo :

1° Bene utendo *instrumentis* quibus memoria passionis Dominicæ in mentem revocatur ;

2° Patiendo quæ patitur *eo modo* quo similia passus est JESUS.

I. Instrumenta quibus renovatur passionis recordatio, sunt :

1° *Imago Crucifixi.* An hæc divina imago fulget in ædibus meis ? An eam frequenter aspicio oculo attento ? An eam identidem osculor reverenter ? An eam coram me habeo dum scribo, dum lego, dum oro ? An eam juxta me habeo de nocte, ut evigilans pie possim eam osculari ? An eam maximi facio ? est enim *liber apertus*, *vexillum*, *scutum*, *thesaurus.*

2° *Signum crucis.* An soleo me cruce signare decenter, animo collecto, cum quadam majestate, præsertim coram aliis ? An res sacrandas signo cruce lente et reverenter, præsertim in Missa ? An mihi cura est docendi parvulos modum se signandi cruce ? An habeo hoc signum ut orationem, ut professionem fidei, ut defensionem contra dæmonem ? An soleo me signare signo crucis antequam aliquod opus aggredior ?

3° *Imago cordis Jesu.* An sæpe et cum

amore hanc imaginem aspicio ? An videndo radios, flammas, crucem, coronam spineam, vulnus in corde, recordor quod dixit S. Paulus : « Dilexit me, et tradidit semetipsum pro me ? »

4° *Via crucis.* Nihil efficacius, nihil suavius revocat in mentem passionem JESU. An hac praxi utor pie, attente, frequenter ? An eam conor promovere in mea parœcia ?

5° *Vestes sacerdotales.* Certum est eas repræsentare passionem Domini. An igitur vel semel meditationem institui de singulis his vestibus, ut, dum eas induo ante celebrationem missæ, sine labore cogitare possim de parte passionis quam repræsentant ?

6° *Instrumenta pœnitentiæ.* Avide his utuntur sancti ex desiderio se erga Christum gratos exhibendi, pro iis quæ tam generose sustinuit. An ego utor vel uno tali instrumento, puta disciplina, cilicio, catena ferrea? An hac in re me non ignavum ostendo ?

II. Quæ patimur, attingunt vel *cor* nostrum, vel *corpus*, vel *honorem.* Propterea voluit JESUS pati in corde, in corpore, in honore. Hæc omnia passus est tranquillo animo, sine murmuratione, sine animi dejectione, cum gaudio, sciens se hos dolores patiendo gloriam dare Patri suo, intrare in suam gloriam, et electis claudere infernum et cœlum aperire. An dum patior similia, videor imitari divinum meum Exemplar ?

1° Quo animo sustineo tristitiam, tædium, rebellionem carnis adversus spiritum, omnemque aliam *cordis* pressuram ?

2° Quo animo sustineo infirmitates corporis, morbos, fatigationem, sitim, famem, frigus, æstum, vulnera, somni defectum et alia quæcumque incommoda ?

3° Quo animo sustineo hominum judicia parum mihi faventia, interpretationes malignas, calumnias, injurias, jacturam famæ ?

O JESU, concede mihi gratiam tibi vere compatiendi nunc, ut postea tecum regnare valeam in æternum. Amen.

RECOLLECTIO XXIII.

MEDITATIO.

De utilitate scientiæ sacerdotalis ad promovendum cultum SS. Cordis JESU.

1. Præl. Audiamus JESUM dicentem sacerdoti : « Præbe, fili mi, cor tuum mihi. » (Prov., XXIII, 26.)

2. Præl. Petamus a JESU gratiam ita utendi nostra *scientia* ut ex ea Cor ejus sacratissimum accipiat honorem.

Nullus nostrum est qui non persuasum habeat minime decere sacerdotem pietate a laicis superari, dum agitur de honorando, de colendo, de amando Cor JESU. Etenim, si propter suam dignitatem, qua altior excogitari non potest, sacerdos in omnibus rebus ad vitam spiritualem pertinentibus primus esse debet, profecto, in hac re excellat oportet. Excellet autem sacerdos sua erga Cor JESU pietate, si adeo se devoveat huic amantissimo Cordi, ut, quidquid habet *scientiæ*, ad illud colendum atque glorificandum dirigat.

Constat autem scientia sacerdotis variis partibus. Ut enim alias omitta-

mus, *theologica* esse potest, *liturgica*, *ascetica*, *pastoralis* seu *apostolica*. Consideremus igitur, qua ratione bonus sacerdos se adjuvare possit multiplici sua scientia, ad colendum Cor Jesu modo vere sacerdotali.

I^um^ Punctum. — **Pars theologica.**

Theologia de veritatibus fidei disserit. Hanc igitur consulat sacerdos, ut probe cognoscat quodnam sit *objectum* cum *materiale* tum *formale*, seu, ut alii dicunt, *objectum sensibile* et objectum *spirituale* cultus de quo hic igitur.

Facile intelliget ex probatissimis theologis, ad cognoscendum verum et genuinum objectum cultus Cordis Jesu, sequentia admittenda esse :

1° Sacratissimum Cor considerari debere quatenus est Cor vivum Jesu Christi Dei simul et hominis, ac proinde Divinitatis sanctuarium.

2° Cor Jesu esse considerandum etiam, quatenus est *symbolum omnium virtutum* Christi Domini, in primisque *amoris* illius immensi quo Patrem et homines prosecutus est.

3° Cor Jesu ulterius considerandum esse, quatenus est *centrum* affectionum intimarum, et præsertim *dolorum* omnium interiorum amantissimi Redemptoris, quos tota vita, in primis passionis suæ tempore, pro hominum salute toleravit.

4° Non omittendam esse contemplationem *vulneris* in cruce accepti, vulneris, in quam, non tam a milite, quam ab amore Christi, lanceam ad Cor dirigente, inflicti.

Hæc ergo complexio rerum tam sublimium, tam admirabilium, tam divinarum, tam amabilium, *verum*, *proprium* et *adæquatum objectum* est cultus Cordis Jesu. Quapropter scite aliquis piissimus theologus uno verbo totam rem definivit dicens: « Objectum cultus Cordis Jesu est amor Christi in Corde materiali demonstratus. »

His intellectis, non difficile erit sacerdoti intelligere, quisnam sit *finis* cultus Cordis Jesu, scilicet excitare in cordibus nostris *vividissimum amorem* erga illum qui nos tam ardenter dilexit. Amor autem inducet nos ad danda Jesu

certissima argumenta *gratitudinis* nostræ, et hæc gratitudo, cum practica esse debeat, nos excitabit *ad reparandas*, quantum pro nostra tenuitate licuerit, *injurias* huic amantissimo Cordi a nobis et ab aliis quibuscumque illatas.

Quam fructuose, quam jucunde contemplabitur sacerdos Cor Jesu sic *probe cognitum !* Intelliget quid intenderit Jesus, dum ipse nobis exhibere dignatus est Cor suum fulgens radiis et flammis, gestans crucem et coronam spineam, et hians largo vulnere, nec poterit quin exclamet : Vere dilexit me et tradidit semetipsum pro me. Diligam te, fortitudo mea, illuminatio mea, refugium meum, Deus meus et omnia !

II^um^ Punctum. — Pars liturgica.

Liturgia docet nos regulas rituum sacrorum atque cæremoniarum. Nullus sacerdos ignorat has regulas plurimi faciendas esse, utpote ab Ecclesia Matre præscriptas, eo fine, ut sacerdos in administratione sacramentorum et præsertim in celebratione Missæ, quam

optime referre valeat personam Christi talia peragentis.

O quam jucundum esset JESU, videre suum sacerdotem, dum legit, dum orat, dum signat se signo crucis, dum se movet, dum se inclinat, dum genuflectit, dum se vertit ad populum, satagentem per omnia imitari divinum suum Magistrum. E contrario, quam ingratum esset JESU, videre sacerdotem, dum versatur in re sublimissima et divina, ita omnia leviter peragentem, vel ita præcipitanter se moventem et verba pronuntiantem, quasi ipsum tæderet stare coram Domino suo et frui ejus præsentia. Consolemur igitur Cor JESU, speciali diligentia attendendo ad rubricas sanctas, easque religiosissime ex amore JESU servando.

III^um^ PUNCTUM. — **Pars ascetica.**

Scientia ascetica docet nos quidquid pertinet ad sanctificationem animæ. Est hæc scientia sanctorum ; utinam, o mi Deus, esset nostra ! Feliciores essemus, et ad dirigendas animas nobis

commissas aptiores. Sed, proh dolor ! a nonnullis sacerdotibus parvi penditur, immo prorsus negligitur. Hinc non raro conqueruntur fideles se non invenire a quo dirigantur in via perfectionis. Et quare contingit ab illis sacerdotibus hanc tam sublimem scientiam contemni vel certe negligi ? Quia non adhibent ea *subsidia* quibus hæc scientia comparatur. Comparatur autem quadruplici subsidio, *lectione, contemplatione, oratione, exercitatione.*

1° *Lectione.* Nulla fere scientia acquiritur, quin legantur scripta illorum, qui in hac scientia excelluerunt. Non debemus nos sacerdotes velle acquirere hanc scientiam, omnium difficillimam, quasi per inspirationem. Legendi sunt libri Magistrorum vitæ spiritualis. Multi tales sunt libri iidemque doctrina insignes. Eos forsan habemus in nostra bibliotheca, sed pulvere obductos, nunquam a nobis apertos. An legimus admirabiles tractatus S. Francisci Salesii, opera aurea P. Rodriguez, P. Scaramelli, P. Alvarez de Paz, S. Ligorii, S. Joannis a Cruce, Climaci ? An sole-

mus pervolutare vitas sanctorum ? An saltem legimus assidue Scripturam sacram ? An saltem lectio Evangelii nobis cibus est, quo quotidie animam nostram nutriamus ?

2° *Contemplatione.* Contemplationem hic vocamus exercitium, quo nobis ob oculos ponimus vitam divini nostri exemplaris J. C. Quid aptius ad cognoscendas, ad amplectendas virtutes, quam videre quomodo eas exercuerit Filius Dei ? Profecto contemplari quotidie JESUM est frequentare scholam sanctitatis.

3° *Oratione.* Ut virtutes acquiramus, non sufficit eas *cognoscere* sive legendo pios libros, sive contemplando mysteria vitæ Domini ; his mediis accedat oratio oportet. Ergo frequentissime et ardenter a Corde JESU petamus virtutes statui nostro convenientes, et sine dubio in corde nostro splendescent.

4° *Exercitatione.* Quisquis intendit pervenire ad perfectionem alicujus actus, necesse est ut in hoc actu frequenter *se exerceat.* Sic miles, sic cantor, sic pictor, sic eques, sic orator. Ut autem

in *arte*, ita in *virtute* non pervenitur ad perfectionem, nisi ope continuæ exercitationis. Ergo speciali modo nos exerceamus in virtute *mansuetudinis et humilitatis*, siquidem has virtutes nobis præcipue commendavit JESUS.

IV^um^ PUNCTUM. – **Pars apostolica.**

Apostolica scientia ea est, qua docemur nos totos impendere in gloriam Dei et in salutem animarum. Nulla sane pars scientiæ sacerdotalis efficacius adjuvare poterit sacerdotem ad promovendam suam erga Cor JESU pietatem. Hanc igitur scientiam in usum deducamus probando nos, omni quo possumus modo, esse *vere apostolos* Sacratissimi Cordis JESU. Studeamus illam devotionem promovere assidue in nobis et in aliis. Apostolos Cordis JESU nos ostendamus in cathedra, in confessionali, in schola, in colloquiis, et verbo et scripto et opere; tunc licebit nobis gaudere quod nomina nostra scripta sint in dulcissimo Corde JESU, unde nulla vis ea sit deletura.

—◇—

CONSIDERATIO.

De tentatione contra virtutem angelicam.

Ait sanctus Ambrosius hominem castum esse *angelum*, hominem vero impurum esse *diabolum*. Quod quidem quam vere vel de ipso sacerdote dici possit, inde apparebit si paucis consideraverimus :

1° Quid sit tentatio ;

2° Quomodo sacerdos, qui solet resistere tentationi contra castitatem, angelorum qualitatibus gaudeat.

I. Juxta probatissimos auctores, *tentatio* est *incitamentum quoddam ad peccandum voluntati nostræ propositum ;* vel *stimulus quidam quo voluntas nostra allicitur vel inclinatur ad violandum præceptum legis.*

Hoc autem *incitamentum*, seu hic *stimulus* oriri potest ex multis et variis fontibus. Oritur enim vel ex ipsa corporis complexione, constitutione, temperatione ; vel ex aliqua mala occasione ; vel ex operatione dæmonis ; vel ex nimio tentationis timore. Et sic ad consolationem multorum dicere possumus, aliquo modo has tentationes contra puritatem esse *moraliter necessarias*. Non enim a nostra voluntate pendet, ut talem habeamus corporis complexionem ; ut in tali occasione versemur ; ut vexet nos diabolus ; ut nimio perstringamur timore. Scimus terribiliter tentatos fuisse S Paulum

Apostolum, S. Benedictum, S. Petrum Cœlestinum, S. Antonium, et multos alios viros sanctissimos, qui vix momentum a molestissimis vexationibus vacuum habuerunt. Nec mirum Deum talia permisisse ; *magnæ* enim et *multæ* inveniuntur in tentatione *utilitates*. Et in primis :

1° Excitant tentationes a somno spirituali, et propterea merito tentatio æquiparatur tintinnabulo matutino quo excutitur e somno ille qui statuit certa hora surgere. Quam multi sacerdotes ignaviter et somnolenter vacarent rebus sanctis, si non continue ad fervorem et ad vigilantiam excitarentur periculo peccandi graviter, per tentationem proposito !

2° Tentatus corroboratur in virtute contra quam fit tentatio, dicente Domino : « Virtus in infirmitate perficitur ; » quasi diceret Deus : In infirmitate, in tentationibus servorum meorum, manifeste et perfecte ostenditur mea *potestas*.

3° Quod *fimus* est *agro*, tentatio est homini ; confert autem fimus ad agri fecunditatem.

4° Quod *ignis* est *auro*, tentatio est homini ; ex igne extrahitur aurum purius magisque splendens.

5° Quod *certamen* est militi, tentatio est homini ; in certamine militis virtus comprobatur.

6° Mirifice eruditur homo ex tentatione ; quapropter dicitur in litteris sacris : « Qui non est tentatus, quid scit ? » (Eccli., XXXIV, 9.)

7° Tentatio est optima ratio suum probandi amorem erga Deum, et proinde est ingens et uberrimus fons meritorum. « Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. »

Sed ut sacerdos, in tentatione constitutus, hæc commoda sibi comparet, necesse est ut, juxta monitum Doctoris Angelici, abstineat ab *admiratione*, a *timore*, a *tristitia*. Non est sane unde *miretur* se tentari, siquidem ipsi Sancti tentationibus fuerunt obnoxii. Non est unde *timeat*, est enim diabolus canis alligatus : *latrare* potest, *mordere* non potest nisi volentem. Non est unde tristetur, sed potius unde lætetur propter ingentia tentationis emolumenta.

Sacerdos qui abstinet a triplici illo pernicioso affectu, fugabit tentationem :

1° *Celeritate* qua resistit tentatori ; est enim tentatio veluti quædam scintilla infernalis, quam diabolus projicere contendit in animam ; periculosum autem valde, ludere cum igne.

2° *Fuga generosa*. « Si dextera manus tua scandalizat te, abscide eam et projice abs te. »

3° *Contemptu ;* est enim superbus tentator et contemptu conteritur.

4° *Dexteritate*, qua sacerdos vertit tentationem contra dæmonem, ipsum constituendo suum admonitorem ad *actus amoris* Dei eliciendos.

II. Sacerdos, qui ita solet tentationem contra castitatem virili animo superare, angelorum qualitatibus gaudet.

1° Ut *angeli*, Deum *melius* quam alii *videt*, penitius inspiciendo et intelligendo res Dei, res æternitatis. « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. » (Matth., V, 8.)

2° Ut *angeli*, *promptissimus* est ad obediendum superioribus et conscientiæ.

3° Ut *angeli*, fortiter agit pro Domino. Quam generose laborat et patitur pro Deo suo !

4° Ut *angeli*, sanctis deliciis non raro affluit sacerdos castus, sive in oratione, sive in operibus sacri ministerii.

Omnia ipsum gaudio afficere solent. Quantum gaudium ex cæremoniis, ex celebratione festorum, ex prima communione puerorum, ex conversione peccatorum, ex sanctificatione animarum !

« O quam pulchra est casta generatio cum claritate ! Immortalis est enim memoria illius ; quoniam apud Deum nota est et apud homines. » (Sap., IV.)

EXAMEN.

Circa modum superandi tentationes.

Quomodo me habere soleo *ante* tentationem, *in* tentatione, *post* tentationem?

I. *Ante* tentationem.

1° An non temerarie et sine ulla necessitate me expono tentationis periculo; *aspiciendo* quæ aspicienda non sunt a sacerdote; *legendo* quæ sacerdotem minime decet legere; *quærendo commercium* hominum qui non satis castitatem sacerdotis revereri videntur?

2° An non frequentius, an non liberius videor confabulari cum femineo sexu?

3° E contrario, an non tali tentationis *timori* indulgeo, ut vix aspicere audeam statuas pias, legere libros innocuos, et auribus percipere sermones minime malos?

4° An prævisa tentatione, cum simplicitate commendo me Deo, vel B. M. V., vel Angelo custodi, cavens sedulo ab omni perturbatione mentis et animi dejectione?

5° An non *anxius* exquiro media vitandi tentationes?

II. *In* tentatione.

1° An non turbor facilius?

2° An non ludo cum igne?

3° An statim ab initio tentationis elicio tranquille actum amoris Dei?

4° An invoco cum fiducia Virginem immaculatam?

5° An conor suaviter avertere mentem a re quam menti objicit diabolus?

6° An possideo animam in patientia?

7° An supero tentationem *contra fidem*, contemnendo rationes quas mihi obtrudere conatur inimicus?

8° An supero tentationem *contra spem*, eliciendo actus fiduciæ, v.g. « In te, Domine, speravi, non confundar in æternum, » vel: « In Deo meo transgrediar murum, » vel: « Diligam te, fortitudo mea, refugium meum? »

9° An supero tentationem *contra caritatem*, orando pro illo adversus quem me male experior dispositum?

10° An supero tentationem *contra patientiam*, tacendo?

11° An supero tentationem *contra obedientiam*, statim rem propositam exsequendo, nulla facta observatione?

12° An supero tentationem *contra temperantiam*, sponte aliquid subtrahendo ex cibo solito vel ex potu, propter amorem JESU vel Mariæ?

III. *Post* tentationem.

1° An non imprudenter, ex scrupulo, reflectere assuevi ad res in tentatione propositas, ita ut me iterum exponam periculo tentationis?

2° An, peracta tentatione, me in pace conservo, non anxie exquirendo consenserimne tentatori?

3° An experientia didici quam *jucundum* sit testimonium conscientiæ, cum gratia Dei superatam fuisse viriliter et constanter vel vehementissimam tentationem, ita ut cum sancto Paulo merito dicere valeam: « Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi ? » (II Cor., XII, 9.)

RECOLLECTIO XXIV.

MEDITATIO.

De dilectione sancti Petri.

1. Præl. In memoriam revocemus quod narrat S. Joannes (XXI, 15): « Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro JESUS : Simon Joannis, diligis me plus his ? Dicit ei : Etiam, Domine, tu scis quia amo te ; dicit ei : Pasce agnos meos. »

2. Præl. Petamus a JESU gratiam ita JESUM et homines diligendi, ut eos dilexit S. Petrus.

Tria consideremus :

1° Quomodo S. Petrus dilexerit Christum ;

2° Quomodo S. Petrus dilexerit oves Christi ;

3° Quomodo S. Petrus ad hos duos amores admirabiliter a Christo fuerit instructus atque formatus. (Cf. *Theophilus*, auctore P. J. Weyer.)

I^um^ PUNCTUM. — **De amore S. Petri erga Christum.**

I. Quare Christus Dominus, curam animarum et regimen Ecclesiæ Petro

committere volens, prius *examinat* illum et inquirit de ejus dilectione? « Simon Joannis, diligis me plus his? » Non sane quia ignorat, sed propter sequentes rationes :

1° Ut doceat *qualis* esse debeat qui aliorum curam suscipit, insignis nimirum in amore Dei, et in illo bene fundatus et radicatus.— Frustra ergo mihi spondeam multa facere, nisi habeam amorem Christi. Hoc primum esse volo in conatibus meis.

2° Ut ostendat aliis Petrum maculas præcedentis negationis pœnitentia delevisse, et non amplius eum talem esse qualis antea fuerat, sed prorsus mutatum, et dignum cui principatus Ecclesiæ et cura animarum committeretur. Quanta nobis causa solaminis !

3° Ut pateat omnibus Petri *humilitas ;* hanc enim summopere diligit Dominus. « Domine, inquit, tu scis quia amo te. » Quam modesta sunt hæc verba ! Ante lapsum audacter dixerat, sibi fidens : Etiamsi alii scandalizentur, ego non scandalizabor ! Nunc timide dicit : « Domine, tu scis quia amo te. »

4° Ut præbeat Petro occasionem publice reparandi scandalum quod dederat. — Sic multa nobis accidunt quæ permittit admirabilis et delicatissima Dei Providentia, ut possimus reparare præterita, reparare scandala quæ forsan inscii dedimus.

II. Observemus Christum Dominum non solum exquisivisse diligereturne a Petro, sed diligereturne dilectione speciali: « Diligis me *plus his?* »

Quid est Christum diligere? Hoc ipsum Dominus exposuit dum dixit aliquando: « Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea. » (Joan., xv, 10.) Qui igitur *accuratius* et *melius* præcepta servat Christi, is *magis* diligit Christum : is manebit in dilectione, in ea conservabitur stabilitatemque in ea consequetur.

Quænam autem sunt ejus præcepta? Sunt ea omnia quæ exprimunt ejus voluntatem. Scimus quanta cum *fidelitate*, quanto cum *amore* S. Petrus usque ad ultimum vitæ suspirium adimpleverit, quidquid intellexerat amantissimo suo Magistro ac Domino placiturum,

Probavit igitur *operibus* suis, tota sua *vivendi ratione*, et sua præsertim *morte* se plus aliis JESUM dilexisse.

Si volumus et nos digni esse quibus Dominus committat curam animarum, *probemus nos* diligere JESUM plus aliis fidelibus. Sumus *dignitate* nostra sacerdotali primi inter homines ; convenit ut inter omnes simus primi *dilectione*.

Unusquisque igitur nostrum imaginetur sibi idem a Christo Domino proponi quod Petro : « An diligis me plus his ? » Quid poterit respondere ? An melius quam parochiani, quam pœnitentes, adimples voluntatem JESU? Quo modo observas mandata Dei, præcepta Ecclesiæ, statuta diœcesana, mandata superiorum, officia muneris ? Et quo amore ? Qua fidelitate ? An auderes dicere : « Tu scis quia amo te ? » Forsan JESUS diceret : « Scio quia non amas me. Si me amares, tale vel tale peccatum non committeres. Si me amares, non tam facile omitteres meditationem. Si me amares, non tam durus esses erga minimos fratres meos ; non tam facile sineres te abripi impatientia.

Si me amares, non tam facile caderes animo in minima tribulatione. Si me amares, melius custodires Tabernaculum meum ; major tibi esset cura domus meæ ; major tibi esset cura cæremoniarum mearum. »

II^um^ PUNCTUM. — **De amore S. Petri erga proximum.**

I. Tribus incitamentis inflammabatur caritas Petri : Christi commendatione, aspectu mundi, verbo quodam particulari JESU.

1° *Urgens Christi commendatio* inflammabat Petrum. Cum enim Dominus interrogasset Petrum : « Simon Joannis, amas me ? » et ille respondisset : « Domine, tu scis quia amo te ; » Christus Dominus ter idem præcepit illi, et inculcavit *quomodo* probare deberet amorem suum : « Pasce agnos meos, pasce oves meas. » Ac si diceret, « Petre, si vere amas me, suscipe curam agnorum meorum, ovium mearum. »

2° *Aspectus hujus mundi.*

Ipsi se mundus offerebat universus

tamquam xenodochium amplissimum, quod omnis generis ægrotos continebat. Videbat reipsa piscinæ evangelicæ marginem, in qua erat multitudo languentium, cæcorum, surdorum, claudorum, paralyticorum. Videbat hominum miserias *internas* quæ ad animam pertinent, et *externas* quæ corpus premunt. Ad hæc omnia extendebat sese S. Petri commiseratio et caritas.

3° Aliquod *peculiare Christi verbum :* « Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his frātribus meis minimis, mihi fecistis. » (Matth., xxv, 40.) Amantibus Christum hoc argumentum validissimum esse debet.

Hæc tria quæ Petri caritatem excitabant, nostram etiam excitare debent.

Etenim eligendo nos Dominus ad statum sacerdotalem, unicuique nostrum dixit ut Petro: « Si amas me, pasce oves meas. »

Quod erat mundus tempore Petri, et nunc est, amplissimum scilicet xenodochium. Nostros ante oculos, ut ante oculos Petri, jacet multitudo languentium, claudorum et paralyticorum. Ergo

ad illos omnes et nostra caritas se extendat oportet.

An non nimium incuriosus sum ego miseriarum fratrum meorum? Quot enim miseriæ quæ requirunt auxilium pastorale! An non nimis *lente* aut *parce* auxilium hoc soleo præstare? Recordemur, ad nostram confusionem, historiam Samaritani, quem nobis ostendit Dominus generosiorem erga miserum, quam ipsi se ostenderunt levita et sacerdos. Quam triste esset, si conspicerentur sacerdotes segniores ad officia caritatis erga miseros quam ipsi laici! Videamus ergo serio coram Domino, sufficiensne sit *nostra caritas sacerdotalis*, constans, generosa, industria, ut erat caritas Petri?

II. Et *quomodo* S. Petrus exercebat suam caritatem? Triplici modo, juxta explicationem S. Bernardi ad verba: « Pasce oves meas. » « Pasce, inquit, *mente*, illis benevolendo; parce *ore*, colloquiis spiritualibus et doctrina; pasce *opere*, benefaciendo in ordine ad salutem et perfectionem. Pasce animi *oratione*; pasce verbi *exhortatione*; pasce

exempli *exhibitione.* » (Serm. 2 de Resurrect.)

An solemus et nos hoc triplici subsidio probare nostrum amorem erga oves nostras ?

An *sufficienter*, an *ardenter*, an *frequenter oramus* pro ovibus nobis commissis ?

An *sufficienter*, an *solide*, an *clare docemus* oves nostras viam salutis et perfectionis ?

An eas sufficienter *ædificamus* nostra pietate, nostra sobrietate, nostra patientia, nostra misericordia, nostra resignatione in vitæ tribulationibus ?

III. Quid sibi lucratus est hac caritate S. Petrus ?

1° Magnas in terris consolationes ;

2° Ingentem post mortem gloriam apud homines ;

3° Majorem gloriam in cœlo.

An nunc eum pœnitet multum laborasse, multum sudasse, multum se fatigasse pro salute animarum ?

O si veras desideramus consolationes, eas petamus a labore nostro, ab operibus zeli nostri, a tribulationibus

et fatigationibus sacri ministerii. Et si gloriari desideramus, ne aliam quæramus gloriam quam *gloriam boni pastoris*. Ne obliviscamur in ultimo judicio præcipue a Christo Domino exaltanda esse *opera caritatis*.

III^um^ PUNCTUM. — **De præparatione S. Petri ad hunc amorem.**

Christus Dominus disposuit et præparavit S. Petrum ad munus, ad quod destinatus erat, 1° eum *probando*, 2° eum *corrigendo*.

1° Eum *probando*. Solet Deus suos electostentare « ut inveniat illos dignos se » (Sap., III, 5), i.e. dignos suo favore, suo auxilio, suo amore, sua gloria. Eos « tamquam aurum in fornace » probat. (Sap., III, 6.) In igne ab auro separatur omnis scoria et omne vilius metallum ; ita in igne tribulationis purificatur amicus Dei, et omnem amoris proprii admixtionem removet. Deus ergo eadem ratione probavit Petrum, et jam ab initio permisit ut *flagellaretur*, ut ab Herode *apprehenderetur*, in *carcerem* mitteretur et ibi per plures dies serva-

retur *ligatus*. Has et multas alias tribulationes patientissime sustinuit S. Petrus, et his tribulationibus singulariter ipsius erga Christum et erga oves Christi crevit caritas.

2° Eum *corrigendo* et *mortificando*. Christus nullum ex apostolis sic mortificavit ut Petrum. *Minimos* errores in eo reprehendit, de *maximo* siluit. Ter Magistrum Petrus negavit, non legimus tamen vel semel exprobratam ei a Domino hanc fuisse perfidiam.

At vero JESUS exprobravit *curiositatem* de Joanne interrogantis : « Hic autem quid ? — Quid ad te ? ait. Tu me sequere. » (Joan., XXI, 21, 22.)

Exprobravit *impetum amoris non prudentis*, quo abreptus Christum volebat a consilio patiendi avertere. « Domine, non erit tibi hoc. — Vade post me, Satana ; scandalum es mihi. » (Matth., XVI, 22, 23.)

Exprobravit *defectum fiduciæ*, cum videns Petrus ventum validum, metuit sibi : « Modicæ fidei, quare dubitasti ? » (Matth., XIV, 31.)

Exprobravit *excessum confidentiæ*

nimium præsumentis de viribus suis : « Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret. » (Luc., XXII, 31.)

Exprobravit *segnitiem:* « Simon, dormis? Non potuisti una hora vigilare? » (Marc., XIV, 37.)

Exprobravit *temeritatem* et *indiscretum zelum :* « Mitte gladium tuum in vaginam. » (Joan., XVIII, 11.)

Exprobravit judicii *pertinaciam :* « Si non lavero te, non habebis partem mecum. » (Joan., XIII, 8.)

Hæc omnia libenti animo suscepit S. Petrus, et propterea stupendos fecit in amore JESU et in amore proximi progressus.

Hinc, o mi JESU, intelligo 1° quomodo mortificatus esse debeam, qui animas cupio tibi lucrari ; 2° quomodo debeam de manu tua patienter accipere tribulationes, undecumque proveniant. Utinam me, ut S. Petrum, tandem invenias dignum te, dignum quem ad regendas animas adhibere velis!

CONSIDERATIO.

De impuritate.

Exstat antiqui auctoris libellus, cui titulus : « *Sacerdos aut sanctus aut reprobus.* » Qui quidem titulus, terribilis sane, primo aspectu veritati contrarius videtur. Etenim locus datur medius inter sacerdotem sanctum et sacerdotem reprobum. Sed perpendenti quod scripsit S. Ambrosius, nimirum, hominem castum esse *angelum*, hominem impudicum esse *diabolum*, mox patebit etiam cum veritate dici posse, sacerdotem esse sanctum aut reprobum. Revera castus sacerdos angelus est, ergo sanctus ; impurus sacerdos diabolus est, ergo aliquomodo reprobus.

Utile erit videre, qua ratione sacerdos impurus dici possit habere tristissimas qualitates dæmonum.

Sacerdos in impuritate constitutus, distinguitur, ut diabolus, sua *fœditate*, sua præsertim *crudelitate.*

1° *Fœditate.* Quam *fœdus* apparet oculis *Dei*,... oculis *suis*,... oculis *complicis*,... forsan oculis *parochianorum*, dum stat ad altare, vestibus *sacris* indutus, perfungens actione non angelica tantum, sed prorsus divina. Nonne monstrum horribile? *Imaginatio* ejus quam fœda ! *Intellectus* quam obscurus ! *Voluntas* quam perversa ! Vere corruptio optimi pessima !

2° *Crudelitate.* Crudelis est erga *Deum*, erga *homines*, erga *semetipsum.*

a) Erga *Deum* crudelis est, semetipsum subtrahendo Deo, se constituendo vile mancipium diaboli,... rapiendo animas Deo,... crudeliter tractando corpus Domini. Ecce manibus impuris castissimum corpus JESU sumit, traducit per os impurum, per pectus fœtore plenum, et ibi ponit sub pedibus dæmonis impuritatis purissimum JESUM, Regem suum, Amicum suum, Patrem suum! O JESU, an hoc exspectabas ab illo dum tot eum beneficiis cumulabas, ad dignitatem sacerdotalem promovebas?

b) Erga *homines* crudelis est, animas innocentissimas seducendo, eas a recta via avertendo, eas ad æternam damnationem secum attrahendo.

c) Crudelis est erga *semetipsum.* Talis enim facile evadit *sacrilegus*, et tamen fidem habet; scit se posse mori singulis momentis; scit scriptum esse: « Horrende et cito apparebit vobis ; quoniam judicium durissimum his, qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia ; potentes autem potenter tormenta patientur... Fortioribus fortior instat cruciatio. » (Sap., VI.) O quam miser sacerdos impurus, in vita, in morte, per totam æternitatem!

Satagamus igitur habere et sedulo custodire thesaurum pretiosissimum, *castitatem*

sacerdotalem, oratione ferventi, fiduciali fiducia ad B. M. V., fuga periculorum.

Caveamus semper et ubique a muliere, quantumcumque nobis videretur pia vel sancta. Merito dixit Scriptura : « In medio mulierum noli commorari. »(Eccli., XLII,12.)

Caveamus etiam ab omni nimia sensualitate vel intemperantia. « Difficile, ait S. Ephrem, inter epulas servatur castitas. » « Ubi saturitas, ait S. Hieronymus, ibi libido dominatur... Quia in vino luxuria. »

O Mater castissima, obtine omnibus sacerdotibus dilecti Filii tui donum castitatis, ut omnes, facti angeli, non solum vitare valeant inferni supplicia, sed magnam in cœlo consequantur gloriam et divinam voluptatem ab ubertate domus Dei. Amen.

EXAMEN.

Circa commercium sacerdotis cum laicis.

Sacerdotis est in suis relationibus cum laicis imitari Filium Dei, qui se nobis exhibuit formam omnis virtutis.

1° JESUS *raro* versabatur inter homines, neque *diu* inter illos commorabatur, unice consulens ipsorum utilitati. — An ego non *frequentius* inter homines appareo sine vera necessitate? An non *diutius* et absque utilitate protraho colloquia?

2° JESUS *sine acceptione personarum*

agebat cum hominibus.—An ego non videor libentius agere cum divitibus, et cum iis qui sunt amœnioris commercii? An e contrario non videor vitare commercium pauperum et miserorum?

3° JESUS nunquam loquebatur de rebus vanis aut mundanis. sed de regno Dei. — An ego non libenter adduco in sermonem res frivolas, inanes, periculosas, scurriles, quæque solent a rebus divinis mentem avertere, et forsan scandalizant parvulos?

4° JESUS minime patiebatur coram se haberi sermones vel parum honestos vel proximo nocentes. — An ego forsan non facilius præbeo aurem sermonibus non castis, vel quibus læditur aliorum fama et auctoritas superiorum?

5° JESUS defectus illorum quibuscum agebat, patienter tolerabat, et si quando locus erat correctioni, cum bonitate delinquentes corrigebat. — An non promptius exprimo verbo vel gestu quidquid mihi in aliis displicet? An non corrigo delinquentes inopportune et modo non debito, ita ut correctio mea noceat potius quam prosit?

6° JESUS omnium animos alliciebat bonitate, comitate, modestia et sermonis suavitate. — An ego non arceo a meo commercio homines duritia mea atque impatientia?

7° JESUS semper præ se ferebat admirabilem gravitatem. An ego non leviorem me

exhibeo sive sermone, sive agendi ratione?

8° JESUS conversabatur cum hominibus ductus purissima intentione, nihil quærens præter gloriam Patris et bonum animarum. — An ego in commercio cum hominibus non unice quæro proprium commodum, propriam gloriam, propriam voluptatem?

9° Aliquando apud laicos prandebat JESUS, ut sua præsentia pios remuneraretur et sapienti conversatione converteret peccatores. — An ego non facilius forte respondeo invitantibus me ad ipsorum mensam, inductus desiderio cibos exquisitiores gustandi et vinum bibendi pretiosius et jucundius? An assidens mensæ, ut JESUS, quæro occasionem ea dicendi quæ simul possint animos recreare et promovere pietatem? An non audior frequenter laudans qualitatem ciborum, vini suavitatem?

10° JESUS se indoli singulorum commodabat, eorumque necessitatibus attendebat, ut sic omnibus omnia fieret. «Omnes... mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ipsius.» (Luc., IV, 22.) — An ego non exigo ut omnes quibuscum agere contingit, meæ se conforment indoli, meamque per omnia et semper exsequantur voluntatem?

O mi JESU, utinam meo modo conversandi cum hominibus omnium animos mihi conciliare valeam, ut eos tibi in æternum lucrifaciam. Amen.

RECOLLECTIO XXV.

MEDITATIO.

De peccato veniali.

1. Præl. Fingamus nobis hominem, non mortuum quidem, sed languentem, minutis vulneribus plenum, morbis debilitatum vinculisque constrictum.

2. Præl. Petamus gratiam cognoscendi et detestandi malitiam peccati venialis.

Ut concipiamus horrorem peccati venialis, interrogemus theologos, sanctos, ipsum Deum.

I^um^ PUNCTUM. — **Interrogemus theologos.**

Unanimi voce docent theologi sequentia :

1° Peccatum veniale est Dei *offensa* et *injuria*, supremæ illi Majestati irrogata a vilissima creatura, quæ, præter ipsum *esse*, accepit ab illa, et etiam nunc accipit, *beneficia* numero plura et pretio magna. Adeoque, præter *inobedientiam*, involvit *ingratitudinem* et *neglectum* quemdam amicitiæ divinæ, quam etsi non abrumpit, *debilitat* tamen, ardorem

caritatis restinguens ejusque exercitium impediens.

2° Est aliquo modo *maculâ* qua anima, Dei sponsa, fœdata, non potest non displicere oculis Sponsi.

3° Est *morbus* omni morbo corporali deterior. « Gravissimum putares, dicit aliquis pius scriptor, cancro laborare, exuri et depasci membra tua. Quid si ad hæc jungerentur cæteræ ægritudines majores, lepra, asthma, paralysis, cæcitas ?... Atqui una culpa venialis pejor est morbus animæ, et magis nocet.

4° Est *impedimentum zeli ;* privat enim virum apostolicum lumine et robore ad dirigendas animas. Vir apostolicus est veluti *canalis* quidam, per quem Deus aquam gratiarum transmittit ad alios ; sed peccata venialia totidem sunt lapilli quibus paulatim *obstruitur* canalis, et sic minus abunde et minus facile aquæ transmittuntur.

5° Est *fons multarum miseriarum.* Etenim peccantem *subtrahit* speciali et benevolæ *providentiæ*, qua Deus protegit justos sibi fideles adversus

tentationes inimici et pericula hujus vitæ ; *liberalitatem* Dei erga illum tollit vel minuit, ob *ingratitudinem* quæ, juxta S. Bernardum, ipsum fontem gratiæ exsiccat;... *avertit* veras *consolationes;*... denique *debilitat* ad bonum, *inclinat* ad malum, et decrescente caritatis igne, *disponit* ad peccata *graviora*.

Ergo peccatum veniale *odibile* est atque *sedulo fugiendum*.

II^um^ PUNCTUM. — **Interrogemus sanctos.**

1. *S. Aloisius*, præ dolore suorum peccatorum, corruit fere exanimis ad pedes confessarii in confessione sua generali, et tamen non habebat confitenda nisi paucissima peccata venialia.

2° *S. Maria Ogniacensis* tam sancte vivebat, ut theologi vix invenirent materiam absolutionis, et tamen suas imperfectiones confitebatur cum maximo dolore.

3° *S. Catharina Genuensis* dicit Deo, se libentius torquendam esse visu omnium dæmonum cum suis suppliciis et terroribus, quam visu offensæ Dei minimæ.

4° *S. Theresia* non intelligebat *parvum* dici posse peccatum veniale voluntarie commissum. « Videtur enim, aiebat, peccans dicere Deo : Domine, quamvis tibi displiceat, nihilominus id committam. Scio te id videre, et novi id te nolle ; tamen meam potius voluntatem et appetitum sequi, quam tuam, volo. » Et, pergit S. Theresia, hujusmodi casum, parvum quid esse, dicere quis audebit ?

5° *S. Chrysostomus* hæc gravissima verba scripsit : « Si Christum vere amaremus, ut amari oportet, judicaremus utique amati offensionem gehenna graviorem. »

6° *S. Anselmus* docet, peccatum veniale deliberate commissum esse tantum malum, ut nec pro salute angelorum atque hominum expediret fieri vel unicum peccatum veniale. Et beati omnes, ait, si optio daretur, mallent gloria privari et beatitudine æterna excidere, quam venialiter peccare.

7° Nullus igitur mirabitur S. Alphonsum Rodriguez solitum fuisse, quotiescumque domo exire deberet,

petere a Deo gratiam moriendi in limine domus, si in via commissurus esset vel minimum peccatum.

Ergo peccatum veniale *odibile* est atque *sedulo fugiendum.*

III^um^ PUNCTUM. — **Interrogemus ipsum Deum.**

Locutus est Deus, multoties *puniendo* etiam *amicos suos* ob peccata quæ videbantur levia.

Moyses dubitavit paululum percutiens petram, et non admissus fuit in terram promissionis.

Maria, soror Moysis, murmuravit contra fratrem suum, et subito lepra fœdata est.

David ex vanitate præscripsit censum subditorum, et septuaginta millia peste percutiuntur.

Uxor Loth ob levem curiositatem conversa est in statuam salis.

Bethsamitæ ob Arcam Dei liberius consideratam gravi plaga percussi sunt.

Oza, propter illius contactum, mortuus concidit.

Et in novo Testamento, *Ananias* et

Saphira ob mendacium subita morte puniuntur.

Ex quibus merito colligi possunt *pœnæ occultæ spirituales* quibus peccata venialia frequenter punit Deus. Multo graviores illæ sunt magisque timendæ quam temporales.

Et quid sunt omnes illæ pœnæ in comparatione cum purgatorio, ubi omnia debita certo solvi debebunt? (Cf. *Med. de purgatorio*, p. 219.)

Et hæc, quæ nobis videntur *tantilla* peccata, *tantum castigat Deus* infinite justus, bonus et misericors, et quidem in amicis suis eximiis et sibi valde gratis.

Intelligimus igitur quid sit peccatum veniale in oculis Dei.

O Maria, intercede pro nobis apud dilectum Filium tuum, et obtine nobis ab amantissimo ipsius Corde, ut in posterum a peccato veniali abstinentes ex amore Dei, post mortem, transmisso purgatorio, recte ad cœlum tendere valeamus. Amen.

CONSIDERATIO.

De ruina sacerdotali.

Nemo repente fit summus. Sacerdos ad ruinam dilabitur *non subito*, sed *paulatim* et quasi per varios gradus. Hos gradus admirabiliter indicant verba evangelica quibus utitur S. Joannes, dum describit *morbum* et *obitum* Lazari quem suscitavit JESUS.

Veluti sex *gradus* indigitat Evangelista, per quos ostenditur Lazarus venisse ad corruptionem sepulcri. Hos gradus percurrit sacerdos currens *ad ruinam*.

1° « Erat quidam *languens* Lazarus a Bethania. » (Jo.,XI,1.) — En primus gradus sacerdotis relinquentis viam perfectionis. Incipit *languescere* in omnibus. Initio sacerdotii quam *fervens* erat, quam *fidelis*, quam *sanctus*, quam *devotus!* Nunc omnia peragit *oscitanter*. Oscitanter *surgit*;... oscitanter *meditatur*;... oscitanter *celebrat Missam*;... oscitanter *instituit actionem gratiarum*;... oscitanter *recitat breviarium*;... oscitanter *administrat sacramenta*. Nihil cum animo, nihil cum gustu spirituali ; totus *languidus* est, cum agitur de rebus spiritualibus.

2° Paulo post annuntiatur JESU amicum suum Lazarum *ægrotare*. « Miserunt ergo sorores ejus ad eum, dicentes: Domine, ecce quem amas, *infirmatur*. » (Joan.,XI,3.) — Est secundus gradus sacerdotis extra viam per-

fectionis. Incipit *spiritualiter ægrotare.* Nondum mortuus est, sed tales habet infirmitates quæ necessario ducunt aliquem ad mortem. Frequentes sunt *omissiones ;* frequentes *impatientiæ* actus ; frequentes actus *sensualitatis ;* frequentes *defectus* contra caritatem, contra obedientiam, contra humilitatem ; frequens *negligentia* in adimplendo officio. His multis suis infirmitatibus adstringitur lectulo doloris sacerdos ; *dolet* enim et totus mutatus est : olim lætus, jucundus, amabilis ; nunc tristis, tetricus, tædio plenus. Quam merito angelus ejus custos Deo dicere poterit : « Domine, ecce quem amas, infirmatur. Utique amas eum, tibi enim multum laboravit, te multum amavit. Sed infirmitate tabescens jacet. »

3° Ecce autem JESUS dicit discipulis suis : « Lazarus, amicus noster, *dormit.* » (Joan., XI, 11.) — Habemus hic statum sacerdotis sua tepiditate devicti. Quasi *lethargica dormitione* jacet oppressus. Nihil jam audit, nihil sentit, nihil dicit. Amici, fratres, superiores amanter eum admonent, non audit. Loquitur Deus intimis inspirationibus : non audit. Interest annuis exercitationibus sacri secessus ; proponuntur magnæ veritates fidei, non audit, nihil sentit ; dormit !

4° Quapropter Dominus ipse enuntiat Lazarum *mortuum* esse. « Tunc ergo dixit eis manifeste : Lazarus *mortuus* est. » (Joan.,

XI, 14) — En quo devenit sacerdos tepidus; lapsus est in peccatum mortale. O utinam statim resurgeret ! Sed eheu ! manet in eodem statu per plures dies;non enim audet adire confessarium,... et iterum cadit. « Et invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem. » (Joan., XI, 17.)

5° Non mirum est ex illo sepulcro exire *fœtorem* pessimum. « Domine, jam fœtet. » (Joan.,XI,39.) Scilicet talis sacerdos fratribus suis *offendiculo* est et *scandalo*. Verba, oculorum jactus, tota ratio agendi, judicandi, loquendi,effundunt nescio quem animi fœtorem qui nauseam parit amicis Dei et angelis.

6° « JESUS infremuit spiritu, et turbavit seipsum, et dixit : Ubi posuistis eum ? Dicunt ei : Domine, veni et vide. Et lacrymatus est JESUS. » (Joan., XI, 33-35.) — Quale spectaculum ! O sacerdos tepide, quoties JESU oculis lacrymas elicuisti ! O quam miser status ad quem te deduxit tua tepiditas. Veni, Domine, et vide !

7° Ut suscitet Lazarum, JESUS utitur magna voce. « Magna voce clamavit : Lazare, veni foras. » (Joan., XI, 43.) Caveat igitur sacerdos a statu tepiditatis; status est *tristissimus,periculosissimus,vix sanabilis*. Incipit a quodam languore,« *languens;* » sequuntur variæ animi infirmitates, « *infirmatur;* » premitur lethargia spirituali, « *dormit ;* » labitur in peccatum mortale,« *mortuus est;* »

manet in hac morte et, quasi in peccato sepultus, spargit fœtorem, « *fœtet;* » lacrymas movet JESU, « *lacrymatus est Jesus;* » utinam JESUM *alte clamantem audiat* et *veniat foras* plene se a sua tepiditate convertendo!

EXAMEN.

Circa causas ruinæ sacerdotalis.

Causæ ruinæ sacerdotalis præcipuæ sunt: 1° neglectus orationis; 2° nimia sensuum libertas; 3° excessiva commodorum exquisitio; 4° spiritus criseos; 5° nimia ad exteriora effusio; 6° animi dejectio. Non sine magna utilitate circa has causas identidem se examinabit sacerdos.

I. *Neglectus orationis.*

An oro statutis horis? — An oro attente, devote, reverenter? — An non absque causa exercitia spiritualia differo? — An ea non facilius decurto? — An ea non frequenter ex pigritia omitto?

II. *Nimia sensuum libertas.*

An non sum ex illis qui volunt *omnia videre*, *omnia legere*, *omnia audire*, *omnia dicere* quæ in mentem veniunt, absque sufficienti consideratione? — An assuevi mihi sanctam inferre vim ad claudendos oculos *rebus* quas sacerdotem non decet aspicere, et *libris* qui non sine periculo leguntur; et ad obturandas aures de fama aliorum detra-

hentibus, vel effutientibus vana, mundana, levia aut scurrilia ?

III. *Excessiva commodorum exquisitio.*

An non me exhibeo delicatiorem quoad *cibos*, quoad *potum*, quoad *vestitum*, quoad *lecti rationem ?* An non semper videor eligere,si optio datur, pulchriora, commodiora, lautiora ? — An non nimium tempus impendo curæ corporis ? — An non elegantior appareo in modo me vestiendi, in modo capillos componendi ? — An non mundanorum more utor unguentis ?

IV. *Spiritus criseos.*

An non levius judico et damno facta et dicta fratrum, vel etiam superiorum ? — An non promptior sum ad interpretandas res aliorum in pejorem partem? — An non adeo rigidum me exhibeo censorem, ut vix unquam aliquid in aliis laude dignum inveniam?

V. *Nimia ad exteriora effusio.*

An non ita me fero ad opera exteriora,ut prorsus videor negligere quæ pertinent ad culturam animæ meæ? — Nonne rarissime tantum me colligo et ad cor redeo ? — An quotidie ope examinis mihimetipsi reddo factorum et dictorum rationem ?

VI. *Animi dejectio.*

An non facilius animum despondeo, vel quia non opportune cor meum aperio illi qui posset me adjuvare consilio ; vel quia, tentationibus obnoxius vehementioribus,non

sufficienter confido in Domino, recurrendo ad humilem orationem ?

VII. An utor sedulo *mediis* aptis ad amovendam a me tepiditatem, quæ sunt :

1° Fidelitas in servando ordine diurno ;

2° Singularis erga cor JESU et erga cor Mariæ devotio ;

3° Familiare cum JESU in tabernaculo commorante colloquium ;

4° Applicatio virilis et constans voluntatis ad peragendum *optime* vel rem unam, quantulacumque hæc fuerit ?

O JESU, miserere mei, qui toties me exposui periculo pereundi in æternum. Concede mihi *lumen* ad cognoscendas causas tristis animæ meæ status ; concede et animi *robur* ad agendum virilius, generosius et cum majori constantia. Volo enim evadere sacerdos sanctus, sacerdos secundum cor tuum. Amen.

INDEX.

PRÆFATIO. V

RECOLLECTIO I. 1
Meditatio. De vocatione Apostolorum. 1
Consideratio. De morte Apostolorum. . 11
Examen. Circa præparationem ad mortem. 13

RECOLLECTIO II. 15
Meditatio. De spiritu fervoris. . . . 15
Consideratio. De subsidiis et de motivis fervoris. 22
Examen. Circa fervorem spiritus. . . 25

RECOLLECTIO III. 28
Meditatio De famulatu Dei sacerdotali. 28
Consideratio. De spiritu fidei in adversis. 35
Examen. Circa modum bellandi bella Domini. 38

RECOLLECTIO IV. 40
Meditatio. JESUS, exemplar sacerdotis in labore. 40
Consideratio. De domo sacerdotali . . 45
Examen. Circa impedimenta gaudii sacerdotalis. 48

RECOLLECTIO V. 51
Meditatio. De vocatione sacerdotali. . 51
Consideratio. De domo sacerdotali (2°). 61
Examen. Circa vigilantiam sacerdotalem. 63

RECOLLECTIO VI. 67
Meditatio. De patientia sacerdotali . . 67
Consideratio. De domo sacerdotali (3°). 75
Examen. Circa presbyterium 78

RECOLLECTIO VII. 80
Meditatio. De lætitia cordis 80
Consideratio. De domo sacerdotali (4°). 86
Examen. Circa prudentiam sacerdotalem. 89

RECOLLECTIO VIII. 92
Meditatio. De vita sacerdotali viti comparata. 92
Consideratio. De æstimatione divini Officii. 98
Examen. Circa munia ecclesiastica. . . 102

RECOLLECTIO IX. 105
Meditatio. De fortitudine. 105
Consideratio. De prudentia. 112
Examen. Circa gaudium sacerdotale. . 114

RECOLLECTIO X. 116
Meditatio. De Resurrectione D. N. J. C. 116
Consideratio. De pace. 122
Examen. Circa resurrectionem spiritualem. 126

RECOLLECTIO XI. 129
Meditatio. De Ascensione D. N. J. C. . 129
Consideratio. De conditionibus sanctitatis. 137
Examen. Circa modum glorificandi Deum. 141

RECOLLECTIO XII. 145
Meditatio. De virtutibus Cordis JESU. . 145
Consideratio. De querelis piorum. . . 151
Examen. Circa mansuetudinem sacerdotalem. 154

RECOLLECTIO XIII. 157
Meditatio. De zelo sacerdotali. . . . 157
Consideratio. De querelis piorum (2°). . 164
Examen. Circa castitatem sacerdotalem. 167

RECOLLECTIO XIV. 170
Meditatio. De doloribus B. M. V. . . 170
Consideratio. De querelis piorum (3°). . 176
Examen. Circa refectionem corporalem. 179

RECOLLECTIO XV. 182
Meditatio. De falsis fontibus felicitatis. 182
Consideratio. De querelis piorum (4°). . 188
Examen. Circa zelum sacerdotalem. . . 192

RECOLLECTIO XVI. 194
Meditatio. De vero fonte felicitatis. . . 194
Consideratio. De sacratissimo Rosario. . 198
Examen. Circa modum se habendi in variis locis. 204

RECOLLECTIO XVII. 208
Meditatio. De terra. 208
Consideratio. De otio fugiendo. . . . 213
Examen. Circa affectus cordis. . . . 216

RECOLLECTIO XVIII. 219
Meditatio. De purgatorio. 219
Consideratio. De labore sacerdotali. . 227
Examen. Circa usum voluntatis. . . . 229

RECOLLECTIO XIX. 232
Meditatio. De mysterio nativitatis D. N. J. C. 232
Consideratio. De labore sacerdotali (2°). 242
Examen. Circa usum intellectus. . . 245

RECOLLECTIO XX. 248
Meditatio. S. Franciscus Salesius, exemplar sacerdotale. 248
Consideratio. De gloria sacerdotali. . . 255
Examen. Circa vanam gloriam. 259

RECOLLECTIO XXI. 261
Meditatio. De S. Joseph. 261
Consideratio. De viis Domini. 267
Examen. Circa usum sensuum. 272

RECOLLECTIO XXII. 276
Meditatio. De S Joanne Evangelista. . 276
Consideratio. De fiducia apostolica. . . 286
Examen. Circa pietatem nostram erga passionem dominicam. 290

RECOLLECTIO XXIII. 294
Meditatio. De utilitate scientiæ sacerdotalis ad promovendum cultum SS. Cordis JESU. 294
Consideratio. De tentatione contra virtutem angelicam. 302
Examen. Circa modum superandi tentationes. 306

RECOLLECTIO XXIV. 309
Meditatio. De dilectione S. Petri. . . 309
Consideratio. De impuritate. 320
Examen. Circa commercium sacerdotis cum laicis. 322

RECOLLECTIO XXV. 325
Meditatio. De peccato veniali. 325
Consideratio. De ruina secerdotali. . . 331
Examen. Circa causas ruinæ sacerdotalis. 334

246.731
P445

PETIT, S. J.,
AUTHOR

Sacerdos Rite In
TITLE

Series Altera - Editio
DATE DUE

BORROWER'S NAME

STORAGE - CBPL

45209